This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

DS
156
P4B7

UC-NRLF
$B 49 677

J. W. BRINKGREVE.

DE REGNO PERGAMENO DEQUE EIUS DYNASTIS

USQUE AD REGEM ATTALUM I.

YC 38749

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF CALIFORNIA.

Accession 83514 *Class*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE REGNO PERGAMENO DEQUE EIUS DYNASTIS

USQUE AD REGEM ATTALUM I.

Digitized by Google

Ex Typographio I. VAN BOEKHOVEN, Traiecti ad Rhenum.

Digitized by Google

DE REGNO PERGAMENO DEQUE EIUS DYNASTIS
USQUE AD REGEM ATTALUM I.

DISSERTATIO LITTERARIA

QUAM

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JACOBI CRAMER

THEOL. DOCT. IN FAC. THEOL. PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHIÆ ET LITTERARUM DECRETO

pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

FACULTATIS EXAMINI PROPONET

IANUS GUILIELMUS BRINKGREVE,

ZALTBOMMELIENSIS.

D. XXIV M. FEBRUARII A. MDCCCXCIII, HORA III.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

TRAIECTI AD RHENUM

APUD I. VAN BOEKHOVEN

MDCCCXCIII.

Digitized by Google

DS156
P4B7

Digitized by Google

PARENTIBUS OPTIMIS

ET

SPONSAE CARISSIMAE.

83514

Digitized by Google

Digitized by Google

Dissertationem hanc in lucem emissurus, qua finem tandem imponam studiis meis Academicis, grato animo in memoriam revoco annos, per quos virorum doctorum et clarissimorum institutione frui mihi contigit. Hoc loco palam sensum animi grati erga eos testificari pium et iucundum officium duco.

Ac primum Tibi, vir clarissime WIJNNE, *promotor aestimatissime, gratias quam maximas ago pro summa benevolentia, qua per omne illud tempus me prosecutus es, et pro auxilio, quod mihi in hoc libello conscribendo tulisti.*

Tu quoque mihi compellandus es, vir doctissime VAN HERWERDEN. *Semper laetabor me Tuis lectionibus interfuisse.*

Tibi, clarissime FRANCKEN, *qui nunc frueris otio cum dignitate, gratias, quas Tibi debeo, libentissime ago.*

Digitized by Google

—

Postremo vos alloquor, coniunctissimi amici et sodales, licet iam in diversas partes abieritis. Semper summa cum voluptate recordabor illud iucundissimum tempus, quod vobiscum agere mihi licuit. Ut non excidistis ex animo meo, sic vos rogo, ut mei memineritis.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Exordium	1
De fontibus	4
De Pergami urbis nominis forma	12
De urbis situ deque eius historia ante III saeculum	16
Historia brevis Ioniarum et Aeoliarum urbium Asiae Minoris	21
De Lysimacho	25
De Philetaero	31
De Eumene I.	49
Theses	69

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

EXORDIUM.

Lysimachus, unus ex Alexandri Magni successoribus [1]), qui post obitum eius regnum Macedonicum inter se diviserunt, anno 281 a Chr. nat., cum Seleuco I, Syrorum rege, proelium conseruit in Cori planitie, in quo pilo traiectus occubuit. Regnum eius dissolutum est et — ut cetera silentio transeam — Asia Minor ad Seleuci ditionem accessit, e qua postea civitas provenit, quam sociam habere ne Romani quidem infra se ducebant, scilicet Pergamena. Historia Per-

[1]) Qui *Diadochi* (διάδοχοι) vocantur. Qui scriptor primus hoc vocabulo usus sit non constat, fortasse — ut ego suspicor — HIERONYMUS CARDIANUS [cf. DIODORUS, edit. *Didot* 1842—44, XVIII, 42 „ὁ τὰς τῶν διαδόχων ἱστορίας γεγραφώς", vide A. SCHÄFER, *Abriss der Quellenkunde der Griechischen und Römischen Geschichte*, erste Abteilung Griechische Geschichte bis auf *Polybius*, 3e Auflage, *Leipzig* 1882, pag. 74] vel NYMPHIS HERACLEOTA, cuius liber inscribitur „περὶ Ἀλεξάνδρου καὶ τῶν Διαδόχων καὶ Ἐπιγόνων" [cff. A. SCHÄFER ibid. p. 99 et C. MÜLLER, *fragmenta historicorum Graecorum*, edit. *Didot*, 1849, III p. 12].

Digitized by Google

gameni regni a recentioribus rerum scriptoribus admodum concise tradita est, sive quod plurimi fontes deperierunt, sive quod — ut saepe fieri solet — scriptores in maioribus civitatibus describendis minores tantummodo perstringunt.

Sed inde ab anno 1878, quo Germania opes Pergami obrutas eruere coepit, viri docti denuo oculos in historiam huius regni coniecerunt. Quicunque historiam perplexam et tortuosam Diadochorum perlegit et per aliquod tempus in aula Pergamenorum principum commoratur voluptatem quandam percipit, ut miles, qui post multa et innumerabilia bella gesta tandem ad coetum propinquorum pacis quietisque amantium revertitur.

Loco caedis et venenorum cuicunque paratorum, loco fallaciarum artificiorumque reperimus apud principes Pergamenos concordiam, pietatem, amorem fraternum multo magis quam in aliis aulis regiis. Principes Pergameni magni bello sunt, nec minores pace, tales, qui consilio ac sapientia rem publicam regere calleant. Paene dixerim eos tranquillam et frugalem vitam degisse civis cuiusdam divitis.

Haudquaquam artibus et disciplinis ostentationis causa favebant vel — quod apud Lagidas et Seleucidas evenire solebat — eo consilio, ut

Digitized by Google

sic aulae mores corruptos depravatosque obumbrarent, sed ex animi studio.

Gaza, a Lysimacho Philetaero primo Pergami dynastae commissa, large usi sunt. Gaza illa Philetaerum dynasten fecerat. Post bellum prospere contra Gallos gestum patruelis eius Attalus insigne regium sibi imposuit. Nummi haud anxie conservabantur, sed principes iis utebantur ad urbes et personas sublevandas et praesertim ad mercenarios conducendos et persolvendos, quorum ope bello parta retinerent.

Quid multa? haec fere sunt, quae indicant, quibus causis factum sit, ut regnum Pergamenum tam diu manserit et ad summum fortunae culmen pervenerit:

1°. Praestantia principum domi militiaeque.

2°. Concordia aulicorum propinquorum.

3°. Aerarium nummorum plenum, quod principibus bono fuit in mercenariis conducendis.

4°. Prudentia et astutia principum in temporibus serviendo.

5°. Situs Pergami urbis, ad quam multae viae confluebant.

6°. Ubertas agrorum.

7°. Mercatura ampla incolarum.

Digitized by Google

DE FONTIBUS.

Antequam transeamus ad historiam Philetaeri, primi dynastae Pergami, narrandam, pauca monenda sunt de rerum scriptoribus et antiquioribus et recentioribus, nec non de inscriptionibus, e quibus materiam hausimus ad hunc libellum componendum.

De historia Pergami scripserunt:

LYSIMACHUS [1]), Attali I magister, in libro, cui titulus est: περὶ παιδείας Ἀττάλου.

NEANTHES CYZICENUS [2]) in libro, cui titulus est: αἱ περὶ Ἄτταλον ἱστορίαι.

---

[1]) Cff. ATHENAEUS, *Deipnosophistarum* l. VI, p. 252c, rec. *Geo. Kaibel*, *Lipsiae* 1887—90, „περὶ τῆς Ἀττάλου παιδείας συγγέγραφε βίβλους πάσαν κολακείαν ἐμφαινούσας" et C. MÜLLER, *fragm. Hist. Graec.* III p. 2, *Didot*, 1849.

[2]) ATHENAEUS XV p. 699d „οὕτω δ' εἰπεῖν Νεάνθην ἐν α' τῶν περὶ Ἄτταλον ἱστοριῶν; C. MÜLLER, *fragm. Hist. Graec.* III p. 2; A. SCHÄFER, *Abriss der Quellenkunde der Griechischen und Römischen Geschichte*, 3e Auflage 1882, p. 100.

Digitized by Google

TELEPHUS [1]), grammaticus Pergamenus, qui vixit tempore Hadriani imperatoris, in libro, qui inscribitur: περὶ τῶν Περγάμου βασιλέων.

PHYLARCHUS, aetate proximus Polybio, qui 28 libris historiam annorum 272—220 a. Chr. nat. tradidit, e quibus Suidas citat: τὰ κατὰ Ἀντίοχον καὶ τὸν Περγαμηνὸν Εὐμένη.

HERODOTUS, Ἱστορίαι, l. IX, *ed.* H. v. HERWERDEN, *Traiect. a. Rhen.* 1885—1889.

XENOPHON, Ἀνάβασις Κύρου, l. VII, *ed.* COBET, *Lugd. Bat.* 1873.

Ἑλληνικά, l. VII, *ed.* COBET, *Lugd. Bat.* 1888.

POLYBIUS, Ἱστορίαι, *ed.* DIDOT, *Paris* 1839.

STRABO, Γεωγραφικά [2]), l. XVII, *cur.* C. MÜLLER *et* F. DÜBNER, DIDOT, *Paris* 1853.

---

[1]) C. MÜLLER, *fragm. Hist. Graec.* III p. 634.

[2]) Cf. THÉODORE REINACH, *Mithridate Eupator, roi de Pont, Paris* 1890, p. 438. „La conservation de la Géographie de Strabon nous console jusqu'à un certain point du naufrage de son Histoire (ὑπομνήματα ἱστορικά, l. XLVII, cf. MÜLLER, *fragm. Hist. Graec.* III p. 490); nombre de faits historiques sont disséminés dans toutes les parties de l'ouvrage, à propos des localités, qui en furent le théatre. Ces brèves allusions n'étaient, dans la pensée de l'auteur, qu'un simple agrément, une sorte d'illustration, propre à interrompre la monotonie de la nomenclature géographique; il se défend expressement de vouloir répéter ce qu'il à déjà dit dans son Histoire; STRABO C. p. 215 εἰρηκότες δὲ πολλὰ περὶ τῶν παρθικῶν νομίμων ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἱστορικῶν ὑπομνημάτων βίβλῳ, δευτέρᾳ δὲ τῶν μετὰ Πολύβιον, παραλείψομεν ἐνταῦθα, μὴ ταυτολογεῖν δόξωμεν.

Digitized by Google

DIODORUS SICULUS, Βιβλιοθήκη ἱστορική, l. XL, *ed.* DIDOT, *Paris* 1842—44.

APPIANUS, Συριακή, DIDOT, *Paris* 1840.

PAUSANIAS, Ἑλλάδος περιήγησις, l. X, *ed.* SCHUBART et WALZ, *Leipz.* 1838.

LUCIANUS, Μακρόβιοι, p. 639 in editione G. DINDORFI „Λουκιάνου τὰ σωζόμενα", DIDOT, *Paris* 1840.

DIOGENES LAËRTIUS, Βίοι φιλοσόφων, l. X, *ed.* DIDOT, *Paris* 1850.

MEMNON, περὶ Ἡρακλείας, vide C. MÜLLER, *fragm. Hist. Graec.* III p. 526, *ed.* DIDOT, *Paris* 1849.

POLYAENUS, Στρατηγήματα, l. VIII, *ed.* J. MELBER, *Lips.* 1887.

NICANDER, γένος Νικάνδρου in *Nicandri* libro, cui titulus est: Θηριακά, *ed.* J. G. SCHNEIDER, *Lips.* 1816.

STEPHANUS BYZANTINUS, Ἐθνικά, ex recentione A. MEINEKII, *Berolini* 1849.

TITUS LIVIUS, *Hist. Rom. libri qui supersunt. Edd.* MADVIGIUS *et* USSINGIUS, *Haun.* 1861—66.

IUSTINUS, *Trogi Pompei historiarum Philippicarum epitoma, recens.* I. JEEP, *ed. minor, Lipsiae* 1872.

C. PLINIUS SECUNDUS, *Historia naturalis,*

Digitized by Google

l. XXXVII, *rec.* I. SILLIG, *Hamb. et Gothae* 1851—58.

S. I. FRONTINUS, *Strategematicon* l. IV, *curavit* FRANC. OUDENDORPIUS, *Lugd. Bat.* 1779.

L'ABBÉ SEVIN, „*Recherches sur les rois de Pergame*" (vide mémoires de litterature, tirez des registres de l'académie royale des inscriptions et belles lettres, depuis l'année 1734 jusqu'en l'année 1737, pag. 204, in: „histoire de l'académie royale des inscriptions et belles lettres", tome XII, *Paris* 1740.

I. C. F. MANSO, *Ueber die Attalen, ihr Staatskluges Benehmen und ihre andern Verdienste*", in: Leben Constantins des Grossen nebst einigen Abhandlungen geschichtlichen Inhaltes, *Breslau* 1817.

NIEBUHR, *Vorträge über alte Geschichte, herausgegeben von* M. NIEBUHR, *Berlin* 1851.

DROYSEN, *Geschichte des Hellenismus*, *Leipzig* 1878, Zweite Auflage.

MAHAFFY, *Greek life and thought* (chapter XIV: Pergamum and its position in the hellenistic world), *London* 1887.

E. THRÄMER, „*Pergamos*". *Untersuchungen über die Frühgeschichte Klein-Aziens und Griechenlands*, *Leipzig* 1888.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

Digitized by Google

E. Thrämer, *die Siege der Pergamener über die Galaten, und ihre Verherrlichung durch die Pergamenische Kunstschule*, (cf. Einladungsprogramm zu dem am 17 Dec. 1877 im livländischen Landesgymnasium zu *Fellin* stattfindenden festlichen Rede-Act.)

L. Contzen, *die Wanderungen der Kelten, Leipzig* 1861.

M. Duncker, *Geschichte des Alterthums, Leipzig* 1878—82, 5e *verbesserte Auflage.*

C. Müller, *Fragmenta historicorum Graecorum, Paris*, Didot 1849.

G. Gilbert, *Handbuch der Griechischen Staats-Alterthümer, Leipzig* 1881—85.

Iwan Müller, *Handbuch der Klass. Alterth. Wissenschaft, Nördlingen* 1889.

H. Swoboda, *Zu den Urkunden von Pergamon.* (Rhein. Museum für Philologie, neue Folge LXIV Band, 1891).

I. Beloch, *Seleukos Kallinikos und Antiochus Hierax*, (Hist. Zeitschrift, herausgeg. von H. v. Sybel, LX Band, 1888).

H. v. Gelder, *Galatarum res in Graecia et Asia gestae* (usque ad medium secundum saeculum a. Chr.), *specimen litter. inaugurale, Amstelodami* 1888.

Digitized by Google

G. WERNSDORFF, *de republica Galatarum*, *Norimbergae* 1743.

F. KOEPP, *über die Syrischen Kriege der ersten Ptolemaier und der Bruderkrieg des Seleukos Kallinikos und Antiochus Hierax*, (Rhein. Museum, N. F. XXXIX Band, 1884).

F. KOEPP, *über die Galaterkriege der Attaliden*, (Rhein. Museum XL Band, 1885).

ULRICH KÖHLER, *die Gründung des Königreichs Pergamon*, (Hist. Zeitschrift v. H. v. SYBEL, XLVII Band, 1882).

ERSCH UND GRUBER, s. v. M. H. E. MEIER „*Pergamenisches Reich*", 3e Sect. XV et XVI.

A. PAULY, *Realencyclopaedie der Klass. Alterthums-Wissenschaft*, *Stuttgart* 1839—52.

s. v. *Pergamum* (V Band, p. 1333).

s. v. *Lysimachus* (IV Band, p. 1303).

s. v. *Philetaerus* (V Band, p. 1468).

s. v. *Eumenes I* (III Band, p. 274).

ENCYCLOPAEDIA BRITANNICA, *Edinburg* 1875—88.

s. v. *Pergamum* (vol. XVIII, p. 527).

s. v. *Lysimachus* (vol. XV, p. 119).

W. DITTENBERGER, *Sylloge inscriptionum Graecarum*, *Lipsiae* 1883.

Hi libri, cum saepius recurrant, in sequentibus solo auctoris nomine indicato lauda-

Digitized by Google

buntur. Quod idem valebit de opere, cui in hac mea scriptione componenda fortasse omnium plurimum debeo, praestantissimum librum dico:

Die Inschriften von Pergamon, unter Mitwirkung v. E. FABRICIUS, C. SCHUCHHARDT, *herausgegeben von* MAX FRÄNKEL, *Berlin* 1890.

Quae inscriptiones, in tabulis marmoreis insculptae et ab HUMANNO [1]) et ab aliis erutae, multa continent, quae res ad historiam regni Pergameni pertinentes (adhuc nobis ignotas) in lucem protrahunt. Qui initio rebus eruendis praefuerunt parum attendebant ad inscriptiones; sed HUMANNUS primum solus, deinde una cum R. BOHN summam operam iis dedit. Anno 1883 E. FABRICIUS veram viam primus ingressus est has inscriptiones accurate tractandi, cui successerunt viri docti A. v. OËCHELHAUSER et FR. KOEPP. Postea E. FABRICIUS rem iterum suscipiens funda-

---

[1]) HUMANNUS architectus est *Smyrnae*, qui una cum A. CONZE (Centraldirector des Kaiserlichen Deutschen Archeol. Instituts) multum attulit ad res Pergamenas melius cognoscendas. Turcia, sub cuius ditione Pergamum situm est, concessit HUMANNO, ut erueret hac conditione, ut Germania, Turcia et agri possessor quae reperirentur inter se dividerent. Sed postea hae conditiones ita mutatae sunt, ut Germania duas partes haberet. Omnia quae reperta sunt Berolinum sunt transvecta, ubi in Museo regio conservantur.

Digitized by Google

menta ad inscriptiones via ac ratione tractandas iecit, adiutus a C. SCHUCHHARDT. M. FRÄNKEL curavit, ut inscriptiones typis exscriberentur, secundum ordinem temporis disponerentur et commentario illustrarentur. Anno 1890 publici iuris fecit priorem partem, 250 inscriptiones continentem, quae incipientes inde ab anno 281 a. Chr. nat. nos ducunt usque ad annum 133 a. Chr. nat., quo anno Asia Minor in provinciae formam redacta est.

Sic dispositae sunt:

I-XX de Philetaeri et Eumenis I aetate (281-241).
XX-LVIII de Attali I aetate (241-197).
LVIII-CCXIV de Eumenis II aetate (197-159).
CCXIV-CCXLV de Attali II aetate (159-138).
CCXLV-CCL de Attali III aetate (138-133).

Digitized by Google

DE PERGAMI URBIS NOMINIS FORMA.

Nominis forma antiquior est *Pergamus*[1]), recentior *Pergamum*[2]); apud scriptores inferioris[3]) aetatis utraque forma extat. Fortasse magis expedit in questionibus ante seculum tertium instituendis formam femininam usurpare, XENOPHONTI convenienter.

---

[1]) Quam formam XENOPNON in *Anabasi* usurpet, non constat *Anab.* VII, 8, 8 εἰς Καΐκου πεδίον ἐλθόντες Πέργαμον καταλαμβάνουσι τῆς Μυσίας. Ibid. VII, 8, 23 ἔπειτα πάλιν ἀφικνοῦνται εἰς Πέργαμον. Femininam formam XENOPHON adhibet in *Hellen.* III, 1, 6 καὶ πόλεις Πέργαμον μὲν ἑκοῦσαν προσέλαβεν

[2]) POLYBIUS neutra forma usus est hisce locis: IV, 48, 11; XVI, 1, 1. XVI, 1, 3; XXXII, 25; XXI, 8, 1 (ubi legendum est εἰς τὸ Πέργαμον): XXII, 3, 10 (ubi legendum est εἰς αὐτὸ τὸ Πέργαμον). E locis V, 78, 6; XXV, 6; XXV, 5, 12 nihil apparet

[3]) STRABO C. p. 623 ἦν μὲν δὴ τὸ Πέργαμον γαζοφυλάκιον; ibid. p. 624 παραρρεῖ δ' ὁ Καΐκος τὸ Πέργαμον. PAUSAN I, 10, 4 καταλαμβάνουσι Πέργαμον τὴν ὑπὲρ Καΐκου. DIOG. LAËRT. IV, 6, 30 Πέργαμος. STEPHAN. BYZANT. *Ethnicorum quae supersunt e recensione A. Meinekii; Berol.* 1849. s. v. Πέργαμος: Πέργαμος, πόλις Ἀσίας. *Thesaurus Graecus* s. v. *Pergamus*: „PHOTIO et SUIDA teste, vocant Iones τὴν πόλιν: τὸ Πέργαμον: alii vero πάντα τὰ ὑψηλά eo nomine accipiunt.

Digitized by Google

Forma neutra adhibita esse videtur, ne urbis et conditoris urbis nomina confunderentur inter se.

Urbs Pergamum verisimiliter inde a tempore Alexandri Magni demum contendebat se a Neoptolemi [1]) (unius ex Aeaci posteris) filio nomen accepisse. Apud *Euphorionem* [2]) legimus: Eurypylus.... Telephi filius.... fuit, qui Grynum procreavit. Is cum patris occupasset imperium et bello a finitimis temptaretur, Pergamum, Neoptolemi et Andromaches filium, ad auxilium de Epiro provocavit, a quo defensus duas urbes condidit, unam Pergamum, de nomine Pergami, alteram Grynium ex responso Apollinis etc. PAUSANIAS I, 11, 2 quoque fabulam Pergami memoriae tradit: Πύῤῥῳ παῖς ἐκ μὲν Ἑρμιόνης ἐγένετο οὐδεὶς, ἐξ Ἀνδρομάχης δὲ Μόλισσος καὶ

Scholia Graeca in *Homeri Iliadem* (ed. *Dindorfius Oxon.* 1875) IV, 508 Ὅμηρος δὲ μόνην τὴν τῆς Ἰλίου ἀκρόπολιν Πέργαμον καλεῖ, οἱ δὲ νεώτεροι πάσας τὰς ἀκροπόλεις. *Servius* ad *Vergilii Aen.* I, 95 ex quibus omnia alta *pergama* vocantur sicut *Aeschyl. Prometh.* 955, *Euripid. Phoen.* 1105 de arce Thebana. Alioqui ἡ Πέργαμος est civitas Asiae; apud Latinos Pergamus et Pergamum, sed longe frequentius τὸ Πέργαμον."

[1]) E locis *Thesauri Graeci* supra p. 12 laudatis facile apparet a situ suo urbem Πέργαμον appellatam esse.

[2]) A. MEINEKE, *Analecta Alexandrina* (1843) fragm. 46 et SERVIUS ad VERGIL. Eclog. VI, 72. EUPHORION, Chalcide Euboeae oriundus, Antiochi Magni regis Syriae bibliothecae praefectus, magna olim fama floruit, et Euphorionis ut ceterorum Alexandrinorum poëtarum magna fuit Romae existimatio.

Digitized by Google

Πίελος καὶ νεώτατος ὁ Πέργαμος.... Πέργαμος δὲ διαβὰς ἐς τὴν Ἀσίαν Ἄρειον δυναστεύοντα ἐν τῇ Τέυθρανίᾳ κτείνει μονομαχήσαντά οἱ περὶ τῆς ἀρχῆς καὶ τῇ πόλει τὸ ὄνομα ἔδωκε τὸ νῦν ἀπ' αὐτοῦ. Καὶ Ἀνδρομάχης (ἠκολούθει γὰρ οἱ) καί νῦν ἐστὶν ἡρῷον ἐν τῇ πόλει. (cf. PAUSAN. III, 20, 8). Personae, de quibus sermo est, tantummodo eponymi (Grynos, Pergamos) sunt. Munus, quo Pergamus fungitur, est ad Caïci convallem pervenire et urbem a se nominare. Operae pretium est animadvertere, heroem nostrum ex Epiro venisse et se genealogiae Molossicorum regum adiunxisse. Sed Epiro nulla est res cum Tenthrantia urbe, nisi Herculem, Alexandri Magni et Barsines filium excipimus. Reges Macedonum arte cum Epiro coniuncti sunt, nam rex Tyrimnas, qui ante Perdiccam I regnum tenuit, originem ducit e fabulis epiroticis.

Matrimonio, quod Philippus, rex Macedonum, et virgo regia Molossa Olympias inter se inierunt, sanguis Heraclidarum et Aeacidarum in Alexandrum Magnum confluxit; per Alexandri filium Herculem Pergamum permeavit. Haec sunt, e quibus vir doctus THRÄMER in libro suo, qui „*Pergamos*" inscribitur (p. 243), efficit quod sequitur: „der epirotische Heros Pergamos in seiner

Digitized by Google

Wanderung nach der Stadt des Kaikosthales ist ein mythischer Reflex der geschichtlichen Thatsache, dass das Blut der Aeaciden mit dem Sohne des Macedonier-Königs in Pergamos seinen Einzug gehalten hat." Recte quidem mea opinione iudicat, Pergami fabulam commentam esse ad filium et nepotem Olympiadis celebrandos. Quod ad fabulam ipsam pertinet, de ea EUPHORION et PAUSANIAS inter se dissentiunt. Nam apud PAUSANIAM Telephus pugnat cum Achille, quorum heroum filii et nepotes Eurypylus cum Neoptolemo et Grynus cum Pergamo manus conserunt. EUPHORION [1]) contra fingit, Eurypyli filium cum Neoptolemi filio societatem iniisse.

Narrationi EUPHORIONIS adulatio quaedam subest erga Alexandrum, dominum orbis terrarum, cui propositum fuerit inveteratum odium inter Orientem et Occidentem placare et e regionibus Asiaticis et Europaeis unum regnum efficere. Cum olim Eurypylus et Neoptolemus, per quos Asia et Europa indicantur, bella inter sese gessissent, in fatis erat, ut filii Grynus et Pergamus concordia inter se coniuncti vitam degerent.

---

[1]) Vide supra p. 13.

Digitized by Google

DE SITU URBIS PERGAMI.

Undecim fere milia passuum orientem versus ab Aeolio litore, ex adverso Lesbi insulae, surgit in Mysiae regione (cui Teuthrania [1]) nomen est), mons oblongus in altitudinem fere mille pedum, in cuius vertice urbs Pergamum condita est. Pergamum intermeat Selinus fluvius, praeterfluunt Cetius (originem ducens e Pindaso monte) et Caicus [2]) per agrum valde fertilem [3]) ac fere optimam partem Mysiae, qui initium capit e radicibus Temni montis et usque ad Sinum Elaïticum pertinet. Campus ille occidentem versus

---

[1]) Cf. THRÄMER „*Pergamos*" p. 187 „*Die Landschaft Teuthrania.*" Cf. THRÄMER „*Pergamos*" p. 186 „also bei den Tragikern dieselbe Vorstellung wie bei Pindar, dass Teuthrania nur ein Bezirk der Gesammtlandschaft Mysiën sei; diese Vorstellung theilt *Herodot*" (VI, 28; VII, 42). Cf. PLINIUS *Hist. Nat.* V, 33. „Supra Aeolida et partem Troadis in mediterraneo est, quae vocatur Teuthrania, quam Mysi antiquitus tenere."

[2]) Cf. PLINIUS *Hist. Nat.* V, 33; STRABO C. p. 624; STRABO C p. 616.

[3]) Cf. STRABO C. p. 624 παραρρεῖ δ' ὁ Καΐκος τὸ Πέργαμον, διὰ τοῦ Καΐκου πεδίου προσαγορευομένου σφόδρα εὐδαίμονα γῆν διεξιών.

Digitized by Google

monte Kane continetur, a cuius radicibus usque ad urbem Elaiam brevissimum litus extenditur, in cuius medio fere, inter urbes Pitanen et Elaiam, Caïcum flumen in mare influit. Meridiem versus continetur montoso iugo (cui nomen est ὀρεινὴ ῥάχις [1])), paribus intervallis a Caïco flumine distante, quod iugum se extendit ab Elaia usque ad Nacrasam, trans quod fert via a Sardibus ad Pergamum. Septemtrionem versus attingit Pindasum montem. Itaque convallis Caïci fluminis undique montibus continetur; sed nihilominus pleraeque viae ferunt ad Pergamum.

Cursus Caïci fluminis haud longus est: triginta quinque fere milia passuum oritur e radicibus Temni montis, quae ad meridiem spectant. Montem, in cuius vertice urbs Pergamum sita est, STRABO [2]) sic describit: est mons qui coni formam habens in acutum cacumen desinit. Meridiem versus modo declivis est, ceterae partes abruptae.

A PLINIO [3]) Pergamum dicitur longe clarissima urbs Asiae fuisse, a STRABONE [4]) urbs

---

[1]) STRABO C. p. 625: „ἐπὶ δὲ τὸν νότον ὀρεινὴ ῥάχις ἐστίν".

[2]) STRABO C. p. 623: „ὄρος στροβιλοειδὲς εἰς ὀξεῖαν κορυφὴν ἀπολήγον".

[3]) PLINIUS, *Hist. Nat.* V, 33.

[4]) STRABO C. p. 623: „ἐπιφανὴς πόλις πολὺν συνευτυχήσασα χρόνον τοῖς Ἀτταλικοῖς βασιλεῦσιν".

Digitized by Google

illustris; sed haec verba spectant ad urbem Pergamum aetate dynastarum et regum posteriorum.

Antiquissimis enim temporibus vidimus Pergamum [1]) fuisse in altum editum, si cum monte comparaveris, parvum castellum (STRABO c. p. 623: „ἔρυμα ἐν ἄκρᾳ στροβιλοειδοῦς ὄρους"). Postea moenia sensim protulit; Xenophontis tempore urbs ultra illam „ἄκραν" fines propagasse videtur, nam castellum Pergamenum hic scriptor iam vocat „πόλιν" [2]).

Alia argumenta, quae afferre possumus, sunt haec: Pergamum iam Alexandri magni temporibus auctoritatem quandam habuit, cff. JUSTINUS XIII, 2, ubi legimus: „esse Pergami filium Alexandri natum ex Barsine" et DIODORUS XX, 9: „Πολυσπέρχων ἐκ Περγάμου μετεπέμψατο τὸν ἐκ Βαρσίνης Ἡρακλέα, τρεφόμενον δ' ἐν Περγάμῳ."

Non dubito, quin Barsine et Hercules tali splendore Pergami circumdati fuerint qualis decebat uxorem et filium Alexandri magni. Verisimile est igitur, urbem satis magnam fuisse initio tertii saeculi a. Chr. nat. Quo anno

---

[1]) STRABO C. p. 623: „ἦν μὲν δὴ τὸ Πέργαμον Λυσιμάχου γαζοφυλάκιον . . . . αὐτὴ τὴν ἄκραν συνοικουμένην ἔχον τοῦ ὄρους . . . . ἐπεπιστεύετο δὲ τὴν φυλακὴν τοῦ ἐρύματος τούτου" κ.τ.ε.

[2]) XENOPH. *Hell.* III, 1, 6.

Digitized by Google

Pergamum conditum sit, memoriae non traditum est. Vestigia remotissima colligere possumus e Xerxis aetate, qui Gongylo Eretriensi, patriae proditori, exuli apud Persas vitam degenti, urbes Teuthranticas Pergamum, Gambrëum, Palaigambrëum [1]) dono dedit, quod factum est post annum 490 a. Chr. nat.

Tempore Xenophontis Pergami regnum tenuit Hellas, Gongyli II vidua, e cuius filiis Gorgion praefuit Gambreo et Palaigambreo, Gongylus III autem Myrinae et Gryneo. Posteaquam Thimbron Spartiates in hasce regiones pervenit eo consilio, ut Graecis urbibus [2]) Asiae Minoris contra satrapen Tissaphernen suppetias ferret, Hellas ad eius partes transiit. Porro inscriptio Pergami eruta (cf. *Ausgrabungen von Pergamon, Bericht* III, p. 56) nos docet, Oronten, Mysiae satrapen, qui ab Artaxerxe mnemone (405—

---

[1]) Xenoph. *Anab.* VII, 8, 8: „Ἐνταῦθα δὴ ξενοῦται Ξενοφῶν παρὰ Ἑλλάδι τῇ Γογγύλου τοῦ Ἐρετριῶς γυναικὶ καὶ Γοργίωνος καὶ Γογγύλου μητρί." Nepos. *Pausan.* 2. Xenoph. *Hell.* III, 1, 6: „προσεχώρησαν δ'αὐτῷ καὶ Γοργίων καὶ Γόγγυλος ἀδελφοὶ ὄντες, ἔχοντες, ὁ μὲν Γάμβριον καὶ Παλαιγάμβριον, ὁ δὲ Μυρίναν καὶ Γρύνιον (δῶρον δὲ καὶ αὗται αἱ πόλεις ἦσαν παρὰ βασιλέως Γογγύλῳ, ὅτι μόνος Ἐρετριέων μηδίσας ἔφυγεν").

[2]) Xenoph. *Hell.* III, 1, 6: „καὶ πόλεις Πέργαμον μὲν ἑκοῦσαν προσέλαβε (Θίμβρων) καὶ Τευθρανίαν καὶ Ἁλίσαρναν." Quae urbes — ut notum est — sociae fuerunt Cyri Iunioris.

Digitized by Google

362) defecerit, „κρατῆσαι τῶν Περγαμηνῶν καὶ μετοίκισαι αὐτοὺς πάλιν ἐπὶ τὸν κολωνὸν εἰς τὴν παλαιὰν πόλιν, εἶτα τὴν πόλιν ἐπιτρέψαντα Ἀρταξέρξῃ ἀποθανεῖν." Quaenam erat causa, propter quam Pergameni de monte suo expulsi erant? Erga regem Persarum peccaverant, cum Xenophontem recepissent et adiuvissent, deinde ad Thimbronis partes transiissent. Fieri potest, ut Persae secundis pacis Antalcidae conditionibus elati Pergamenos urbe expulerint et ita poenas exegerint delictorum in magnum regem commissorum. Haec fere sunt, quae dicenda habui de historia urbis Pergami ante annum 281 a. Chr. n., quo anno Philetaerus a Lysimacho defecit et fundamenta impèrii Pergameni iecit.

Digitized by Google

HISTORIA BREVIS IONIARUM ET AEOLIARUM URBIUM [1]).

Haud alienum a proposito meo putavi, etsi singillatim exponere longum est, historiam Ioniae et Aeoliae urbium paucis attingere, e qua efficere possumus, sub cuius potestate Pergamum ante Lysimachi aetatem fuerit. Quae urbis regiminis forma fuerit, qui magistratus fuerint Philetaeri temporibus, ut postea videbimus inscriptiones Pergami erutae nos docebunt.

Ioniae civitates antiquissimis temporibus reges [2]) sibi constituerunt. Ex historia civitatum illarum conicere possumus, imperia regia plerumque excepisse paucorum dominatus (ὀλιγαρχίας), qui deinceps a tyrannis submoti sint.

---

[1]) Cff. GILBERT, *Handbuch d. Griech. Staatsalterth.* II p. 135 et DROYSEN, *Geschichte des Hell.* I p. 1.

[2]) Cf. HEROD. I, 147.

Digitized by Google

Croesus [1]), Lydorum rex, Ephesios primum aggressus est, deinde singulos Ioniae et Aeoliae populos, quos ad pendendum tributum subegit. Lydia a Cyro expugnata Harpagus [2]), qui Cyro in regno comparando sociam praestiterat operam, Graecas urbes [3]) Asiae Minoris sub potestatem Cyri redigere conatus est. Quae armis Harpagi resistere non potuerunt et victae imperata fecerunt; ita Ionia iterum in servitutem redacta est. Singulis civitatibus Harpagus viros erga se bene affectos praefecit, in quorum rem erat fidem erga Persas servare.

Anno 500 a. Chr. nat. Miletus a rege Persarum defecit auctore Aristagora, qui statim tyrannidem abdicavit et iuris aequalitatem (ἰσονομίαν) Milesiis proposuit [4]). Deinde in reliqua Ionia idem fecit, tyrannos civitatibus expellens. Ita civitates liberatae sunt tyrannis, quibus submotis Aristagoras Milesius unamquamque civitatem iussit praetorem (στρατηγόν) sibi constituere.

Seditione a rege sedata Artaphernes, qui Sardibus praefuit, arcessitis legatis e civitatibus

---

[1]) HEROD. I, 26/27. Cf. MAX DUNCKER, *Gesch. d. Alterth.* VI, p. 505/6.

[2]) HEROD. I, 162—169. Cf. MAX DUNCKER, *Gesch. d. Alterth.* VI, p. 506.

[3]) Milesiis exceptis, qui cum ipso Cyro foedus pepigerant.

[4]) HEROD. V, 37/38.

Digitized by Google

coëgit Iones, ut pactiones mutuas facerent, nec porro vi et armis inter se agerent. Tributa quoque iis imposuit, quae ab illo fere eadem conditione atque prius fuerant constituta sunt [1]).

Victoria apud Mycalen ab Atheniensibus reportata eorumque prosperi successus usque ad pugnam apud Eurymedontem Ioniae et Aeoliae civitates a Persarum dominatu liberaverunt, quarum maior pars ad Atheniensium societatem, quae imperio populari favebat, accesserunt.

Paucorum dominatus a Lysandro, rege Lace daemoniorum, instituti, ex quo Athenienses ex Asia Minore expulerat, paulisper manserunt. Anno 387 a. Chr. nat. pace Antalcidae constituta civitates Graecae in Asia Minore sitae sub regis ditionem redierunt [2]), in qua manserunt usque ad proelium, anno 334 a. Chr. nat. apud Granicum flumen commissum.

Alexander magnus ubique paucorum dominatum abrogari, imperium populare institui patriasque leges cunctis restitui, tributa etiam, quae barbari iis imposuerant, rescindi [3]) iussit. Menandro ab Alexandro magno satrapia Lydiae mandata

---

[1]) HEROD. VI, 42.

[2]) XENOPH. *Hell.* V, 1, 31. DIODOR. XIV, 110.

[3]) PLUTARCH. *Alexander* 34. DIOD. XVII, 24. ARRIAN. *Anab.* I, 18, 1 et 2.

Digitized by Google

erat [1]), cui Pergamum quoque et vicinas regiones adiunctas esse titulus 114 ex DITTENBERGERI *Syllogis* nos docet [2]).

Paucis annis post Asia Minor sub potestatem Antigoni redacta est, quo apud Ipsum (anno 301) devicto, imperio Lysimachi subiecta est. Anno 281, quo Lysimachus in Cori planitie debellatus est, ad Seleucidarum ditionem accesserunt civitates Asiae Minoris. Antiochus II Deus (261—246), Syrorum rex, iis popularem statum (δημοκρατίαν) restituisse videtur, vide DITTENB. *Syllog.* 171, ubi de Seleuco II (246—226) scriptum videmus: „καὶ ἐβεβαίωσεν τῷ δήμῳ τὴν αὐτονομίαν καὶ δημοκρατίαν". Anno 133 a. Chr. n. Asia Minor a Romanis in provinciae formam redacta est.

Urbem Pergamum omnibus his rerum vicissitudinibus implicitam fuisse verisimile est.

---

[1]) ARRIAN. III, 6, 8; VII, 23, 1.

[2]) DITTENB. I, 114: „Lapis inventus octo miliariis Anglicis ab urbe Pergamo, ubi situm erat Gambreum. Ed. Fellows Itin. As. min. p. 30 (inde BÖCKH C. I. G. 3561). Plenius exscripsit M. Georgin, cuius ex apographo ed. *A. Papadopulos*, *Bulletin de Corr. Hell.* I (1877) p. 54. Θεὸς τύχη ἀγαθή. Βασιλεύοντος Ἀλεξάνδρου, ἔτει ἑνδεκάτωι, Μενάνδρου σατραπέυοντος, ἐπὶ πρυτάνιος Ἰσαγόρου, Κρατεύας ἔδωκεν Ἀριστομένει γῆν ψιλὴν ἀγρὸν ἐποικίσαι πρὸς τῶι φυτῶι ἐπὶ Κρατεύα φυτευθέντι. ὁ δὲ περίβολός ἐστιν τῆς γῆς σπόρου κύπρων ἑκατὸν ἑβδομήκοντα καὶ ὀικόπεδα καὶ κῆπος. φόρος δὲ τοῦ κήπου χρυσοῦς ἕκαστον ἐνιαυτόν."

Digitized by Google

DE LYSIMACHO [1]).

Ut supra p. 20 vidimus, pauca nobis tradita sunt de historia Pergami urbis ante saeculum tertium. Aliquot annis post e tenebris emergit, nam Lysimachus ὁ γαζοφύλαξ κατ' ἐξοχὴν [2]) in castello Pergameno thesauros suos deposuit [3]).

---

[1]) Cff. CURTIUS RUFUS X, ed. *Zumpt* 1849. PLUTARCHI *Vitae Eumenis*, *Demetrii*, *Pyrrhi*, ex *recen. C. Sintenis*. JUSTINUS XIII—XVI. DIODORUS XVIII—XX (fragm. XXI). ARRIANUS τὰ μετὰ Ἀλέξανδρον (*Photius ed. Bekker*). CORN. NEPOS, *Eumenes* (*ed. Cobet*); APPIANUS, Syriacae. PAUSANIAS, Ἑλλάδος περιήγησις I, 9, 10, 11. DEXIPPUS ATHENIENSIS (vide MÜLLER, *fragm. Hist. Graec.* III, 666, *Didot*, *Paris* 1849). PORPHYRIUS TYRIUS (v. MÜLLER, *fragm. Hist. Graec.* III, 688). MEMNON (v. MÜLLER, *fragm. Hist. Graec.* III, 525). MANNERT, *die unmittelbaren Nachfolger Alexanders des Grossen*, *Leipzig* 1787. DROYSEN II et III, *Geschichte des Hellenismus*. MAHAFFY, *Greek life and thought*, Chapter III et IV.

[2]) PLUTARCH. *Demetrius*: 25, ubi Demetrius eum ironice vocat γαζοφύλακα. In aliis quoque montibus gazas habuit. Cff. STRABO C. p. 319: „ἡ Τίριζις ἄκρα, χωρίον ἐρυμνὸν ᾧ ποτε καὶ Λυσίμαχος ἐχρήσατο γαζοφυλακίῳ". POLYAEN. IV, 9, 4: „ἡ Σάρδεων ἄκρα, τοὺς ἐν αὐτῇ θησαυροὺς Θεοδότου φυλάσσοντος . . . τοῦτον Λυσίμαχος θησαυροφύλακα ἔταξεν".

[3]) STRABO C. p. 623: „ἣν μὲν δὴ τὸ Πέργαμον Λυσιμάχου γαζοφυλάκιον, αὐτὴν τὴν ἄκραν τοῦ ὄρους συνοικουμένην ἔχον."

Digitized by Google

Quinam locus unquam tam firmum habuit praesidium? urbs enim, quae sita erat in summo montis vertice, paene inexpugnabilis erat. Sed postulat locus, ut quae ad Lysimachum pertinent paucis exponantur.

Lysimachus, Agathoclis [1]) filius, anno 361 [2]) sive Pellae sive Cranone [3]) natus, satelles [4]) (δορυφόρος, σωματοφύλαξ, ὑπασπιστής) erat Alexandri magni.

Post Alexandri magni obitum, cum Perdiccas, cui Alexander annulum (insigne regiminis summi) tradiderat, regnum Macedonicum inter duces divisisset, Lysimachus Thraciam adpositasque

---

[1]) STRABO C. p. 623. PORPHYR. TYRIUS (MÜLLER *fr. H. Gr.* III, p. 698).

[2]) JUSTIN. XVII, 1: „Lysimachus 74 annos natus erat"; mortuus est a° 281, igitur natus a° 355. App. Syriac. 64: „ἑβδομηκοντούτης ὢν ἔπεσεν" (igitur natus a° 351). Quibus auctoribus fidem habere nequeo, nam tum a° 334. Lysimachus nondum homo id aetatis fuit, cui Alexander tam gravia munera mandare soleret. Magis mihi arridet, quod Hieronymus apud Lucianum (*Longaevi:* 12) narrat, Lysimachum annos octoginta natum mortalitatem explevisse: igitur natus est a° 361.

[3]) De loco, ubi natus sit, inter scriptores non constat. NIEBUHR, *Vorträge über alte Geschichte*, *Berlin* 1851, III, 93: sive Thessalus sive Macedo. PORPHYR. TYR. (MÜLLER, *fr. H. G.* III, p. 698) Lysimachus ex Cranone natus. PAUSAN I, 9. 5: „ὁ δὲ Λυσίμαχος οὗτος γένος τε ἦν Μακεδών". ATHENAEUS VI, p. 260: „καὶ Θεόπομπος γάρ ἐν τῇ ἐννέα καὶ δεκατῇ τῶν Φιλιππικῶν φησίν. Ἀγαθοκλέα δοῦλον γενόμενον καὶ τῶν ἐκ Θετταλίας πενεστῶν, Φιλιππος . . . . ἀπέστειλεν".

[4]) PAUS l. l.; PORPH. TYR. l. l.; APP. *Syr.* 64: „Λυσίμαχον δὲ πυνθάνομαι τῶν ὑπασπιστῶν ὄντα τῶν Ἀλεξάνδρου."

Digitized by Google

Thraciae Ponticas gentes usque ad Salmydessum accepit [1]), qui autem demum inde a tempore quo Thraciae et Chersonesi regno potitus est, se negotiis diadochorum admiscere coepit. Anno 306 a. Chr. nat. Antigoni et Demetrii exemplum secutus regium nomen Lysimachus assumpsit [2]). Anno 302 a. Chr. nat. societatem iniit [3]) cum Ptolemaeo, Seleuco, Cassandro (Antipatris filio) contra Antigonum. Commisso ad Ipsum [4]) (oppidum est in Phrygia iuxta Symnada) proelio Antigonus vitam amisit, quo sublato foederati reges victores regnum eius inter se diviserunt. Sed quo modo haec divisio [5]) facta sit e rerum scriptoribus non satis apparet. Ex Appiani Syriacis conicere possumus, Lysimachum impetrasse Lydiam, Mysiam, Phrygiam maiorem atque minorem et regiones Asiae Minoris, quae Ponto Euxino adiacent. Paulo post matrimonium, quod cum Amastri (quae dotem urbem Hera-

---

[1]) Cf. CURT. RUFUS X, 30; PLUT. *Eum.* 3; JUST. XIII, 4; ARRIAN. *de succ. Alex.*; DIOD. XVIII. 3; DEXIPPUS (MÜLLER, *fr. H. G.* III, p. 668); PORPH. TYR. (MÜLLER, *fr. H. G* III, p. 694).

[2]) NEP. *Eum.* 13; JUST. XV, 2; DIOD. XX, 53; PLUT. *Dem.* 18; APP. *Syr.* 54.

[3]) DIOD. XX, 106; JUST. XV, 2.

[4]) JUSTIN. XV, 4; APP. Syr. 55; PLUT. *Dem.* 29.

[5]) APP. *Syr.* 55; PLUT. *Dem.* 30.

Digitized by Google

cleam attulerat) inierat, diremit et secundas nuptias fecit cum Arsinoë, Ptolemaei Lagi et Berenices filia [1]), quod matrimonium, ut infra videbimus, causa mortis suae fuit. — Anno 286 a. Chr. nat. Lysimachus expulso Pyrrho, qui regem se proclamaverat [2]), Macedoniam occupavit eamque obtinuit usque ad mortem [3]). Quo factum est, ut omnia, quae Philippus et Alexander magnus in Europa habuerant, excepta Graecia una cum Asia Minore cis Taurum sub potestatem Lysimachi venirent. Arsinoën, cum timeret, ne sui filii, mortuo Lysimacho in Agathoclis potestate essent, de Agathoclis caede consilia iniisse ferunt. Sunt [4]) qui tradiderint, Arsinoën, Agathoclis amore captam, cum adolescentem (alterum Hippolytum) ad stuprum pellicere non potuisset, eum per insidias de medio sustulisse. Non multi laboris erat, Lysimacho, seni decrepito et suspicioso, persuadere, filium patris vitae

---

[1]) PAUS. I, 10, 3; PLUT. *Demetrius* 31; MEMNON (Cf. MÜLLER *fr. H. G.* III, p. 530) falso dicit, Arsinoën: „θυγατέρα Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου"; legendum est pro θυγατέρα: ἀδελφήν. Agathocles, Lysimachi filius, filiam Ptolemaei et Eurydices Lysandram uxorem duxerat (Cf. PAUS. I, 9, 7).

[2]) PLUT. *Pyrrhus* 11.

[3]) PAUS. I, 10, 2; JUSTIN. XVI, 3; PORPHYR. TYR. (Cf. MÜLLER *fr. H. G.* III, p. 695).

[4]) PAUS. I, 10, 3.

Digitized by Google

insidias struere [1]). Auctore igitur Arsinoe Lysimachus filium natu maximum Agathoclem in carcerem ductum trucidari iubet. Ptolemaeus Ceraunus, Arsinoës frater, qui forte in Lysimachi aula versabatur, erat qui manu sua id scelus perpetravit [2]). Lysandra filios et fratrem Agathoclis secum habens ad Seleucum profugit [3]). Qui cum Babylonem pervenissent a Seleuco, ut bellum contra Lysimachum susciperet et caedem Agathoclis ulcisceretur, supplices contenderunt. Sero Lysimachus cognovit in innocentem animadvertisse et propter caedem in odio esse apud Agathoclis amicos, qui ad unum omnes eum deseruerunt [4]). In Asia minore, ubi multi Agathoclis studiosi erant, seditio exorta est Lysimachi subditorum, quibus in animo erat iugum excutere. Duces copiaeque Lysimachi ad Seleucum defecerunt. Lysimachus diutius ibi morari non potuit [5]) et statim in Asiam traiecit. Seleucus Taurum transgressus cum eo proelium conseruit in Cori planitie, in quo Lysimachus pilo traiectus occubuit [6]).

---

[1]) LUCIAN., *Icaromen.* 15 dicit, re vera Agathoclem id consilium cepisse.

[2]) PAUS. I, 16, 2; MEMNON (Cf. MÜLLER *fr. H. G.* III, p. 532).

[3]) PAUS. I, 10, 4.

[4]) Cf. MEMNON l. l.

[5]) PAUS. I, 10, 5.

[6]) *Die Inschriften v. Pergamon* n° 245 v. 41: „Σελεύκου τῇ πρὸς Λυσί-

Digitized by Google

Lysimacho interemto regnum ad Seleuci ditionem accessit anno 281 ante Chr. nat.[1]).

μαχὸν μάχῃ ἐπικρατήσαντος". POLYAEN. IV, 9, 4; VI, 12; VIII, 57. JUST. XVII, 1; PORPH. TYR. (MÜLLER *fr. H. G.* III, p. 698); MEMNON (MÜLLER *fr. H. G.* III, p. 532); PAUS. I, 10, 5; APP. SYR. 62; STRABO C, p. 623.

[1]) *Die Inschr. v. Perg.* nº 245 v. 46.

Digitized by Google

DE PHILETAERO.

PHILETAERUS (281-263) - *Eumenes* — *Attalus*

EUMENES I (263-241) ATTALUS I (241-197).

EUMENES II (197-159), ATTALUS II (159-138), *Philetaerus*, *Athenaeus*.

ATTALUS III (138-133).

Unus ex Agathoclis amicis, qui aegre tulerunt, Lysimachum filium vita exuisse, et ad Seleuci, Syriae regis, partes transierunt, eunuchus Philetaérus erat, cui Lysimachus thesauri (novies mille talenta erant) custodiam in Pergamena arce commiserat[1]). Patria Philetaeri est *Tius*[2]), Paphlagoniae

[1]) PAUS. I, 10, 4: „ᾧ τὰ χοήματα ἐπέτραπτο Λυσιμάχου." STRABO C. p. 623: „ἐπεπίστευτο δὲ τὴν φυλακὴν τοῦ ἐρύματος τούτου καὶ τῶν χρημάτων (ἦν δὲ τάλαντα ἐννεακισχίλια) Φιλέταιρος". . . .

[2]) STRABO C. p. 543: „τὸ δὲ Τίειόν ἐστι πολίχνιον οὐδὲν ἔχον μνήμης ἄξιον, πλὴν ὅτι Φιλέταιρος ἐντεῦθεν ἦν, ὁ ἀρχηγέτης τοῦ τῶν Ἀτταλικῶν βασιλέων γένους". PAUS. I, 8, 1: „Ἀνὴρ Μακεδὼν Δόκιμος ὄνομα, Φιλέταιρον Παφλαγόνα εἶχεν εὐνοῦχον".

Digitized by Google

oppidulum, prope Pontum Euxinum. De nominis oppidi forma non constat neque inter codices neque inter rerum scriptores. Probabile est eam fuisse „ἡ Τίος."

Nominis urbis formae quae extant sunt: τὸ Τῖον, ἡ Τίος, τὸ Τίειον. Apud STRABONEM C. p. 542, p. 543, p. 565 τὸ Τίειον, sed C. p. 544 τῆς Τῖου (emendavit Kramerus pro Τηΐου cf. POLYB. XXVI, 6, 7. Τήϊον, ubi legendum est Τῖον). Strabo Fortasse errorem commisit scribendo Τίειον; alio loco (C. p. 623) quidem usurpat nomen gentile Τιανός (quo loco codices fluitant inter formas „Τιανεύς, Τιαννός, Τιανός, Τυανεύς[1]). Sed a voce Τίειον derivandum est nomen gentile Τιειεύς. Confundit fortasse STRABO urbis nomen cum templo, a Tio conditore urbis dedicato, quod templum vocatur Τίειον. Vide STEPHANUM BYZANTINUM s. v. Τίος: „πόλις Παφλαγονίας τοῦ Πόντου ἀπὸ Τίου ἱερέως τό γένος Μιλησίου ὡς Φίλων. Δημοσθένης δ'ἐν Βιθυνιακοῖς φησι κτιστὴν τῆς πόλεως γενέσθαι Πάταρον ἑλόντα Παφλαγονίαν καὶ ἐκ τοῦ τιμᾶν τὸν Δία Τίον προσαγορεῦσαι. Μέμνηται καὶ Μένιππος ἐν Παφλαγονίας

[1]) Quod nomen gentile derivatum est a Τύανα, patria Apollonii illius. Vide STEPH. BYZ. s. v. τὰ Τύανα: „πόλις μέση Κιλικίας καὶ Καππαδοκίας ὑποπεπτωκυῖα τῷ Ταύρῳ τῷ κατὰ τὰς Κιλικίας πύλας· οἱ πολῖται Τυανεῖς ὡς Ἀδανεῖς". Cf. STRABO C. p. 537.

Digitized by Google

περίπλῳ: „οἱ πάντες ἀπὸ Ἡρακλείας ἐς Τίον πόλιν καὶ ποταμὸν Βίλαιον στάδιοι το" καὶ πάλιν „οἱ πάντες ἀπὸ Τίου, εἰς Ἄμαστριν στάδιοι σκ'". Στράβων ἐν τῷ δωδεκάτῳ οὐδετέρως καὶ τρισυλλάβως τὸ Τίειόν φησι καὶ τὸ ἐθνικὸν ἀπὸ τῆς Τίου Τιανὸς, ὡς ἀπὸ τῆς Κίου Κιανὸς λέγεται δὲ καὶ Τιανεύς."

ZONARAS, *lexicon* p. 1733: „Τῖος πόλις ἐν Παφλαγονίᾳ, ὁ πολίτης Τίιος καὶ Τῖος κατὰ κρᾶσιν τῶν δύο ιι ὡς Χίιος: Χῖος."

MEMNON: (vide MÜLLER *Hist. Gr. Fr.* III, p. 531) „ἐπαίνων καὶ τὴν Τῖον." Vocat incolas „Τιανούς" (vide MÜLLER III, p. 536).

DROYSEN, *Gesch. d. Hell.* III, p. 189, 190, 267, 271, 273, 277, urbem „Tios" vocat; contra *Gesch. d. Hell.* II, p. 2, 321, 337: „Tion." (III, p. 273) Philetaerum et Eumenem appellat „Tianer."

TH. REINACH, *Mithrid. Eupator* p. 315: „Triarius alla reprendre Tios et Amastris." p. 56: „depuis qu'Eumène avait donné Tiéum à Prusias." p. 39 n. 2: „Tios entre Héraclée et Amastris porta quelque temps le nom de Bérénice (Etienne de Byzance s. v. Βερενῖκαι)."

IWAN MÜLLER, *Handbuch der Kl. Alt.* Band III, p. 261 (geogr. u. polit. Geschichte). „Seit Prusias gehörte auch *Tion* oder *Tieion*

Digitized by Google

(j. Filiyás an der Mündung des Billāos eine Milesische Kolonie zu Bithynien."

Obscuro loco natus est Philetaerus, nam si Carystio [1]) commentariorum scriptori credimus, mater eius fuit tibicina et meretrix quaedam Paphlagonia, cui nomen Boae. Id convenit cum eo, quod STRABO [2]) de grammatico quodam Daphita narrat, qui fertur in crucem actum esse, quod regibus Pergamenis vitio dedisset originem servilem, eos hoc disticho incessens:

„πορφύρεοι μώλωπες ἀπορρινήματα γάζης
Λυσιμάχου Λυδῶν ἄρχετε καὶ Φρυγίης."

Immo per vocabula „πορφύρεοι μώλωπες" spectat poëta ad cicatrices sanguineas, quibus corpora servorum foedabantur.

Philetaeri patris nomen non traditum est; poëta-medicus Nicander [3]) Colophonius a grammatico

---

[1]) ATHENAEUS XIII, p. 577[b]: „Φιλέταιρον δέ τὸν Περγάμου καὶ τῆς Καινῆς ταύτης λεγομένης βασιλεύσαντα χώρας, Βόας αὐλητρίδος ἑταίρας τὸ γένος ἀπὸ Παφλαγονίας υἱὸν φησι γενέσθαι Καρύστιος ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασιν."

[2]) STRABO C. p. 623.

[3]) Hodie satis constat, Nicandrum circiter anno 200 a. Chr. natum esse vitamque ad tempora Attali III, qui obiit anno 133 a. Chr. nat, produxisse.

De patre Nicandri non una et consentiens veterum opinio fuit. Suidas XENOPHANE ortum Nicandrum dicit. Scriptor vitae Nicandri ipsum se alicubi poëtam tradit DAMAEI filium appellavisse hoc versu:

„αἰνήσεις υἱῆα πολυμνήστοιο Δαμαίου,"

quae verba sive in prooemio sive in fine alicuius carminis poëtam posuisse,

Digitized by Google

Dionysio Phaselite dicitur, carmen Attalo III inscripsisse, cuius initium genealogiam regum Attalicorum ab Hercule repetitam tradit [1]):

„Τευθρανίδης, ὃς κλῆρον ἀεὶ πατρώϊον ἴσχεις,
κέκλυθι· μηδ' ἄμνηστον ἀπ' οὔατος ὕμνον ἐρύξῃς,
Ἄτταλ', ἐπεὶ σέο ῥίζαν ἐπέκλυον Ἡρακλῆος,
ἐισέτι Λυσιακῆς [2]) τε περίφρονος, ἣν Πελοηΐς
Ἱπποδάμεια φύτευσεν, ὅτ' Ἄπιδος ἤρατο τιμήν."

Adulationis causa appellat Pergameni regni principem a nomine Teuthrae, Teuthraniae regis,

---

quibus studia sua ei, cui inscripsisset carmen, commendaret, probabile fit ex *Theriacorum* initio et fine, item ex *Alexipharmacis* extremis.

Ope tituli *Nicodamo* archonte compositi, quo proxeniae honore afficitur NICANDER COLOPHONIUS poëta epicus, genuinum patris nomen restituere possumus cf. *Bulletin de Correspondance hellénique* (1882) VI, p. 218:

„Ἀγαθαὶ τύχαι. Δελφοὶ ἔδωκαν Νικάνδρωι
Ἀναξαγόρου Κολοφωνίωι, ἐπέων ποιητᾶι, αὐ --
τῶι καὶ ἐγγόνοις προξενίαν . . . . —
Ἄρχοντος Νικοδάμου." κ. τ. ε.

Quo anno Nicodamus archon fuerit ignotum est.

[1]) Cf. NICANDRI COLOPHONII *Theriaca*, emend. *I. G. Schneider* (*Lips.* 1816), p. 3 „γένος Νικάνδρου"; cf. L'ABBÉ SÉVIN, *Recherches*, p. 204.: „Si on l'en (Nicandre) croit Philetaire et ses successeurs comptoient Hercule parmi leur ancêtres, mais en matière de généalogie les poètes ne se piquent pas d'une exactitude scrupuleuse. Uniquement attentifs à flatter la vanité des Grands peu leur importe que ce soit aux dépens de la vérité. Telles estoient à peu près les circonstances où se trouvoit Nicandre. Il vivoit à la cour du dernier Attalus; l'espoir des récompenses l'avoit engagé à luy dédier quelques-uns de ses ouvrages, et il y prodigea les louanges les plus propres à exciter la libéralité de ce prince."

[2]) Legendum est: ἐξέτι Λυσιδίκης.

Digitized by Google

cuius generis auctores Hercules et Lysidice (Hippodamiae filia) fuisse dicuntur. Spectaculo quodam funebri [1]) in magna hominum frequentia a nutrice gestatus, adeo fuit in turba hominum compressus Philetaerus, ut genitalia pueri colliderentur, quam ob rem eunuchus factus est [2]). Liberaliter educatus [3]), stipendia meruit sub Docimo, uno de Antigoni ducibus, quem secutus est, cum Docimus se opesque suas Lysimacho traderet [4]). Sic cognovit Lysimachum, in cuius amicitiam et familiaritatem ita pervenisse videtur Philetaerus, ut Lysimachus ei gazae Pergamenae custodiam committeret [5]). Cum etiam Agathoclis amicissimus esset, aegre tulit eum e medio sublatum esse, et cum pro certo haberet, se in vitae periculo versare, tutius duxit a Lysimacho deficere. Sed ratus se solum Seleuco, Syrorum regi, resistere non posse, ad eum legatos misit, qui se pecuniamque omnem traderent.

Utrum Seleucus id acceperit necne, nescimus,

---

[1]) STRABO C. p. 623. PAUS. I, 8, 1.

[2]) Eleganter L'ABBÉ SÉVIN *Recherches*, p. 241: „il y fut pressé avec tant de violence, qu'il se vit dans la suite hors d'état de penser au mariage."

[3]) STRABO C. p. 623.

[4]) PAUS. I, 10, 4.

[5]) Eunuchi in primis gazas custodiendi munere functi esse videntur, Cf. PLUT. *Dem.* 25: „ἐπιεικῶς γὰρ εἰώθεισαν εὐνούχους ἔχειν γαζοφύλακας;" verisimiliter quia feminarum blandimentis corrupi nequeunt.

Digitized by Google

sed postquam Lysimachus vitam amisit et Seleucus a Ptolemaeo Kerauno trucidatus est, Philetaerus suis legibus usus fuisse [1]) et in turbis, quae paullo post inter Seleucidas et Lagidas ortae sunt, in castello suo mansisse [2]) videtur.

Erat vir prudens ac astutus, qui pro temporum opportunitate rem gerebat et privatis suis commodis serviebat.

Permagno Seleuci cadaver a Ptolemaeo Kerauno emit, reliquias cremavit et cineres ad eius filium Antiochum remisit, eo consilio ut in gratiam et favorem apud eum veniret [3]).

Ex inscriptione Pergamena n°. 245 [4]) videmus eum Pitanensibus XL talenta dono dedisse, quibus agros quosdam a Mytilenaeis emerent, ex quo Philetaeri consilium apparet auctoritatem suam interponendi in finitimorum oppidorum res.

Semper officiosum se praestabat erga potentiores ac sibi propriores; semper temporibus inserviebat iisque callide utebatur. Si quod in animo habebat

---

[1]) STRABO C. p. 623: „ἀπέστησε τὸ χωρίον . . ὁρῶν ἐπιτηδεῖον πρὸς νεωτερισμόν."

[2]) STRABO C. p. 623: „τοιούτων δὲ θορύβων ὄντων, διεγένετο μένων (Φιλέταιρος) ἐπὶ τοῦ ἐρύματος."

[3]) APPIAN. *Res. Syr.* 63.

[4]) *Die Inschr. v. Pergam.* n° 245 v. 44: (fragm. C.) „δόντος εἰς ταῦτα Πιταναίοις καὶ Φιλεταίρου τάλαντα τεσσαράκοντα."

Digitized by Google

illico assequi non poterat, ad promissa descendit [1]). Cum anno 266 Syriacum bellum primum exardesceret inter Antiochum I (281—261) et Ptolemaeum II Philadelphum (285—246), huic se adiunxit socium, quod Ptolemaeus hoc tempore superior esset et ingenti classe non modo totum Asiae Minoris littus obsideret, verum etiam has regiones Antiocho eripere studeret.

Verisimile est, Philetaerum hoc praesertim bello fines suarum regionum Antiochi impensis protulisse.

Qui imperii, tempore Philetaeri, fines essent nescimus; ex inscriptione Pergamena n°. 13 sola conicere possumus, id iam mare attigisse, in qua inscriptione (ponenda est initio Eumenis I regni) duces mercenariorum rebellium (de qua rebellione infra p. 55 videbimus) ius iurant, sive urbem, sive castellum, sive *naves*, sive pecuniam fidei commissam Eumeni se asservaturos esse [2]). Sequitur, ut iam hoc tempore Pergameni classem haberent, quae Elaeae stationem haberet, quod oppidum a STRABONE [3]) dicitur

---

[1]) STRABO C. p. 623: „πολιτευόμενος δι' ὑποσχεσέων καὶ τῆς ἄλλης θεραπείας ἀεὶ πρὸς τὸν ἰσχύοντα καὶ ἔγγυς παρόντα."

[2]) *Die Perg. Inschr.* n° 13 v. 37.

[3]) STRABO C. p. 615: „Ἐλαία πόλις Αἰολικὴ καὶ αὕτη Περγαμηνῶν ἐπίνειον"; STRABO C. p. 622: „εἰς Ἐλαίαν, λιμένα ἔχουσαν καὶ ναύσταθμον τῶν Ἀτταλικῶν βασιλέων."

Digitized by Google

portum et stationem navium regum Attalicorum habuisse. Cui sententiae modo repugnare videntur vocabula „reges Attalici" (Ἀτταλικοὶ βασιλεῖς); sed sub voce regum Attalicorum etiam primos dynastas intelligi nos docent inprimis in STRABONIS libro loci: C. p. 623 et C. 566: „τὸ Πέργαμον, ἐπιφανὴς πόλις καὶ πολὺν συνευτυχήσασα χρόνον τοῖς Ἀτταλικοῖς βασιλεῦσι· καὶ δὴ καὶ ἐντεῦθεν ἀρκτέον τῆς ἑξῆς περιοδείας, καὶ πρῶτον περὶ τῶν βασιλέων, ὁπόθεν ὡρμήθησαν καὶ εἰς ἅ κατέστρεψαν, ἐν βραχέσι δηλωτέον." STRABO C. p. 566: „κατέσχον δὲ τὴν χώραν ταύτην οἱ Γαλάται πλανηθέντες πολύν χρόνον καὶ καταδραμόντες τὴν ὑπὸ τοῖς Ἀτταλικοῖς βασιλεῦσι χώραν." Acceperunt autem Galatiam Galati, postquam anno 240 a. Chr. nat. ab Attalo magno proelio debellati sunt, cff. LIV. XXXVIII, 16; POL. XVIII, 41; PAUS. I, 25, 2, qua elatus victoria Attalus regium nomen accepit.

Vide porro ATHENAEUM XIII, p. 577[b]: „Φιλέταιρον δὲ τὸν Περγάμου καὶ τῆς Καινῆς τάυτης λεγομένης βασιλεύσαντα χώρας."

ATHEN. X, p. 445[d]: „Εὐμένης ὁ Περγαμηνὸς ὁ Φιλεταίρου τοῦ Περγάμου βασιλέυσαντος ἀδελφιδοῦς;" qui vocem βασιλεύειν pro δυναστεύειν usurpat[1]).

---

[1]) Vide de eiusmodi errore REINACH, *Mithrid. Eupator*, p. 3 n° 6: „Δυναστεία, Diodore XX, 111; ailleurs, par anticipation ou inadvertance βασιλεία (XV, 90; XVI, 90)."

Digitized by Google

Cf. denique DIOGENIS LAËRTII liber, qui inscribitur „*Vitae philosophorum*" IV, 6, 38: „ἐχορήγει αὐτῷ (Ἀρκεσιλάῳ) πολλὰ Εὐμένης ὁ τοῦ Φιλεταίρου· διὸ καὶ τούτῳ μόνῳ τῶν ἄλλων βασιλέων προσεφώνει."

De eadem quaestione dicit THRÄMER, *Progr. v. Fellin*, p. 26, n. 95. „Ἀτταλικοὶ βασιλεῖς ist (hier) in der allgemeinen Bedeutung „Pergamenische Herrscher" gebraucht. Als singular steht in diesem Sinne sogar das einfache Ἄτταλος. Festgestellt hat dies MEIER in seiner Abhandlung über das pergamenische Reich" (*Ersch. u. Grüber*, 3e Sect. XV et XVI p. 351). De Philetaero nihil praeterea memoriae proditum est. Postquam per annos viginti dominus mansit castelli, e vita decessit. Ex anno, quo Attalus I mortuus est (de quo satis constat), annum elicere possumus, quo Philetaerus diem supremum obierit. Attalus I autem vere anni 197 a. Chr. nat. cum in concilio Boeotorum Thebis verba facere conaretur, subito morbo afflictus concidit (LIVIUS XXXIII, 2, 2). Quo casu debilitatus quamdiu vixerit, non accurate traditur, sed Livius post mentionem proelii ad Cynocephalas commissi refert, eum Thebis Pergamum advectum decessisse (LIV. XXXIII, 21, 1). Suspicandum ergo, id autumno anni 197 a. Chr. nat. factum esse.

Digitized by Google

Regnaverat annos 44 et senex e vita decessit anno 197 a. Chr. nat. [1]); regnum igitur iniit a°. 241 a. Chr. nat. Eumenes I, cui Attalus successit, imperium tenuerat annos 22 [2]); itaque Philetaerus mortuus est anno 263 a. Chr. nat. LUCIANUS [3]) ponit eum inter longaevos, narrans eum annos octoginta natum mortalitatem explevisse.

Inscriptio Pergamena n°. 10 continet epigramma poëtae ignoti in honorem victoriae Attali cuiusdam Olympiae in certamine equorum reportatae:

„Πολλὰ μὲν ἐγ Λιβύης ἦλθ' ἅρματα, πολλὰ δ' ἀπ' Ἄργευς,
πολλὰ δὲ πιείρης ἦλθ' ἀπὸ Θεσσαλίης,
οἷσιν ἐνηριθμεῖτο καὶ Ἀττάλου· ἀθρόα δ' ὕσπληξ
πάντα διὰ στρεπτοῦ τείνατ' ἔχουσα κάλω·
ἣ μεγ' ἐπαχήσασα θοὰς ἐξήλασε πώλους,
αἱ δὲ διὰ σταδίου πυκνόν ὄρεγμ' ἔφερον,

---

[1]) LIV. XXXIII, 21: „Eodem tempore (197) et rex Attalus moritur altero et septuagesimo anno, cum quattuor et quadraginta annos regnasset." POLYB. XVIII, 24: „τυχὼν δὲ τῆς τιμῆς ταύτης (βασιλείας) καὶ βιώσας ἔτη δυὸ πρὸς τοῖς ἑβδομήκοντα, τούτων δὲ βασιλεύσας τεσσαράκοντα καὶ τέσσαρα." STRABO C. p. 624: „βασιλεύσας ἔτη τρία καὶ τετταράκοντα."

[2]) STRABO C. p. 624: „Εὐμένης δύο δὲ καὶ εἰκόσιν ἄρξας ἔτη τελευτᾶ τὸν βίον."

[3]) LUCIAN. μακρόβιοι C. 12: „Φιλέταιρος δὲ πρῶτος μὲν ἐκτήσατο τὴν περὶ Πέργαμον ἀρχὴν καὶ κατέσχεν εὐνοῦχος ὤν, κατέστρεψε δὲ τὸν βίον ὀγδοήκοντα ἐτῶν γενόμενος."

Digitized by Google

ἄλλαι ἐπ' ἄλλα θέουσαι. Ὁ δ' Ἀττάλου ἶσος ἀέλλῃ
δίφρος ἀεὶ προτέραν ποσσὶν ἔφαινε κόνιν.
Χοὶ μὲν ἐτ' ἀμπνείοντες ἐδήριον, αὐτὰρ ὁ τοῖσιν
ἐγράφεθ', Ἑλλάνων ταῖς τόκα μυριάσιν.
φήμα δ' εἰς Φιλέταιρον ἀοίδιμος ἦλθε καὶ οἴκους
Περγάμου Ἀλείωι τελσαμένα στεφάνωι."

(cf. SOPHOCLES, *Electra* 680—763),

e quo epigrammate apparet, principes aulae Pergamenae certaminum Olympiorum pretiosorum participes fuisse. Ceterum diversi Pergameni principes commemorantur (vide genealogiam, p. 31), quibus nomen erat et Attalus et Philetaerus: primum duo Philetaeri, quorum alter regni conditor, alter tertius filius Attali I erat (cf. STRABO C. p. 624).

Sed modo ad filium Attali I verba „φήμα δ' εἰς Φιλέταιρον ἀοίδιμος ἦλθε" pertinere possunt, si victor a poëta laudatus fuit Attalus II, quod verisimile non est, nam sic poëta significavisset famam ad victoris fratrem pervenisse regnante Eumene II gentis suae principe. Cui opinioni praeterea repugnat proprietas litterarum in inscriptione Pergamena n° 10 exaratarum, quae referendae sunt ad Philetaeri I et Eumenis I aetatem. Nam litterae neque eandem normam habent ac multis annis post, *theta* enim et *omicron* sunt multo

Digitized by Google

minoris moduli reliquis, neque eandem formam, *sigma* enim et *pi* ubique ϹΣ et Γ pro recentiore forma Σ et Π se exhibent, neque litterarum species aeque absoluta et perfecta est ac tempore regum ultimorum.

E quibus argumentis apparet, non Attalum I victorem fuisse, qui quo anno Philetaerus obierit puer quinque annorum esset, sed eius patrem, Philetaeri fratrem, cui item nomen Attalus fuerit (vide genealogiam p. 31).

Uxor, quam Attalus ille duxerat, erat Antiochis, Achaei filia [1]), cuius sororem Antiochus Deus, Syrorum rex, in matrimonium duxerat. Dignitate opibusque suis Attalus igitur certaminum tam sumptuosorum equestrium particeps esse potuit, et verisimile est, Philetaerum pecunia suum fratrem adiuvisse. Victoria Olympiae reportata non solum victorem, verum etiam totam familiam honore gloriaque augere solebat (cf. Pindari epinicia). Puto igitur, verba „φήμα δ'εἰς Φιλέταιρον ἦλθε" referenda esse ad Philetaerum, qui regnum Pergamenum condidit.

Apud Diogenem Laërtium, IV, 6, 30, hoc

---

[1]) STRABO C. p. 624: „ἐκ δὲ Ἀττάλου καὶ Ἀντιοχίδος τῆς Ἀχαιοῦ, γεγονὼς Ἄτταλος διεδέξατο τὴν ἀρχήν."

Digitized by Google

occurrit philosophi Arcesilai (qui poëticae quoque operam dabat) epigramma in Attalum:

„Πέργαμος οὐχ ὅπλοις κλεινὴ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἵπποις πολλάκις αὐδᾶται Πῖσαν ἀνὰ ζαθέην.
Εἰ δὲ τὸν ἐκ Διόθεν θεμιτὸν θνατῷ νόον εἰπεῖν, ἔσσεται εἰσαῦτις πολλὸν ἀοιδοτέρη."

Quod bene convenit cum nostra sententia; nam Arcesilaus ille anno 241 a. Chr. nat. mortuus est, quo Attalus I regnum adiit: alludit igitur Arcesilaus item ad Attalum, Philetaeri fratrem.

Sed antequam transeamus ad vitam Eumenis I narrandam, qui Philetaero patruo suo successit, recurrendum ad inscriptiones, et pauca dicenda sunt de rei publicae Pergamenae regimine.

Prior pars inscriptionis duodevicesimae, (cf. *Die Inschriften von Pergamon*) epistulam continet ab Eumene I ad populum Pergamenum scriptam, in qua populum rogat, ut magistratus, qui στρατηγοί vocantur, bene de republica meritos, praemiis remuneret.

Summa postestas penes dynasten erat, sed sic constituta, ut simul species quaedam democratiae maneret, nam extant comitia (ἐκκλησία), apud quae dynastae, postea reges, multum valent per quinque viros (qui στρατηγοί vocantur), a se ipsis creatos, (cf. *Die Inschr. v. Perg.*

Digitized by Google

n° 18 : 22), quibus ius erat ad populum ferendi, qua de causa praescriptio psephismatum Pergamenorum [1]) sic se habet: „ἔγνω βουλὴ καὶ δῆμος· γνώμη στρατηγῶν." (*Die Inschr. v. Perg.* 5, 167, 224, 249). Rogatio primum ad senatum (βουλή), deinde cum probuleumate ad comitia populi fertur.

Ex inscriptionibus Pergamenis n° 5, 157, 162, 167, 245 apparet, Pergami quoque senatum (βουλή) fuisse, sed de senatorum numero nihil memoriae traditur.

Strategi [2]) comitiis praesunt (n° 18 : v. 4; 16:

[1]) SWOBODA, *zu den Urkunden v. Pergamon*, p. 497: „Auch für die Scheidung der Volksbeschlüsse v. Pergamon in bestimmte Typen ist die Art, wie der Antragssteller im Präscripte eingeführt wird, das massgebende Moment. Darnach zerfallen sie in zwei Gattungen, von denen die eine, welche in den erhaltenen Inschriften bei weitem häufiger vertreten ist, das Collegium der Strategen als Antragssteller nennt (γνώμη στρατηγῶν). Dazu gehören „die Inschr. v. Perg. n° 5, n° 167, n° 224, n° 249. Dagegen erscheint in einem andern Decrete, welches Auszeichnungen für die Strategen verfügt, ein einzelner Antragssteller (n° 18, 21 Ἀρχέστρατος εἶπεν) der nicht Mitglied der bezeichneten Behörde ist."

Ibidem p. 498: „Allerdings möchte ich noch weiter gehen und aus der Analogie, welche ebenfalls die Decrete einiger Städte liefern, den Schluss ziehen, dass wir in der Fassung mit γνώμη στρατηγῶν, probuleumatische Decrete, in n° 18 ein Volksdecret zu sehen haben; dass also die Strategen auch hier die ständige Berichterstattung im Namen des Rathes an das Volk besassen und damit verknüpft den Vorsitz in dieser Körperschaft und in der Ecclesia, während n° 18 von einem der Bule nicht angehörenden Bürger (ἰδιώτης) beantragt wurde."

[2]) Cf. SWOBODA, *zu den Urkunden v. Pergamon*, p. 502.

Digitized by Google

23) et pecuniam publicam administrant (n° 18 : 5)[1]. Eorum quoque est templa reficere (n° 18 : 10), publice pronuntiare (n° 156 : 15), qui viri bene de republica meriti corona ornandi sint; decreta senatus populique in lapides incidere (n° 156 : 24); sed de tertio munere non plane constat, nam vir doctus FRÄNKEL inscriptionem 156 aptissime quidem ad sententiam sic supplevit: τὴν δὲ στάσιν τῆς στήλης καὶ τὴν ἀναγραφὴν ποιήσασθαι τοὺς στρατηγούς[2]).

Usque ad regni finem semper quinque strategi fuisse videntur.

---

[1]) SWOBODA, p. 506: „Im Allgemeinen darf man wie Fränkel behaupten, dass die Strategen die Finanzverwaltung, sowohl die heilige als die profane geführt haben. Dennoch erheischt die Ansicht eine Einschränkung; als die eigentlichen Organe der Finanzverwaltung finden wir eigens dafür eingesetzte Behörden, und auch in Pergamon hat der Grundsatz gegolten, dass Staatsschatz und Tempelschatz strenge von einander getrennt waren."

Ibidem, p. 508: „An eine unmittelbare Finanzverwaltung durch die Strategen wird man also nicht denken dürfen. . . . Unter den Strategen fungirten die öffentlichen Schatzmeister und die Beamten der Tempelverwaltung."

[2]) *Ibidem*, p. 502: „N° 156 v. 14 werden sie zu der Verkündigung eines der Stadt Tegea zuerkannten Kranzes und *ibid.* 24 zu der Aufstellung der Urkunde und der Aufschreibung des Beschlusses beauftragt. Es ist nun interessant zu beobachten, dass nicht bloss in der Hauptstadt, sondern auch in den übrigen zu dem Pergamenischen Reiche gehörigen Städten, die Strategen im Genusse einer ähnlichen Stellung waren. Wir begegnen ihnen wieder in Pitane, in Hierapolis und in Nacrasa, in Temnos, und in Elaia und in dem jenseits des Meeres befindlichen Besitzes der Pergamenischen Königen, in Aegina."

Digitized by Google

Satis constat, non strategos, sed Pergamenos dynastas regesque res militares et omnia bella gessisse (n⁰. 13: 19). Sed in titulo Pergameno n⁰. 154 offendimus „στρατηγὸν τῆς κατὰ . . . . ." (cetera desunt), donarium deo cuidam dedicantem. In Dittenbergeri Sylloge n⁰. 246: 13 traditur „στρατηγὸς τῆς Χερρονήσου καὶ τῶν κατὰ τὴν θρᾴκην τόπων." Si Perg. inscr. n⁰. 154 et Dittenb. n⁰. 246 ad eundem magistratum spectant, is certe non creatus est ante annum 190 a. Chr. n., nam Chersonesus post proelium ad Magnesiam commissum a Romanis Eumeni II data est.

Maximi momenti ad dynastae dignitatem cognoscendam est modus, quo dynastes comitia populi rogat [1]), ut honores conferantur in strategos, quod omnia bene gesserint in magistratu suo. Dynastes primum laudatur, quod tantam curam adhibuerit in bonis ministris deligendis, deinde, quod cives honoribus et coronis affecerit, qua de causa populus rogante Archestrato decrevit primo, ut strategi Pergameni Panathenaeïs corona aurea coronarentur prae-

---

[1]) SWOBODA, p. 504: „Es ist klar, dass durch die Königlichen Erlässe die Bedeutung der volksthümlichen Verfassung illusorisch gemacht und, wenn auch ihre Einrichtungen und Beamtungen bestehen blieben, auf ein Minimum eingeschränkt wurde."

Digitized by Google

stantiae causa benevolentiaeque erga Eumenem atque populum; secundo, ut quaestores (ταμίαι) Eumeneïs [1]) iis ovem darent, quam Eumeni immolarent (cf. inscript. n⁰. 18). Operae pretium est hoc loco animadvertere, in urbe Pergami semper *prytanes* (Die Insch. v. Perg. n⁰. 5, 157, 224? 247?) vel *sacerdotes* (Die Insch. v. Perg. n⁰. 18 et 249) eponymos fuisse e contrario *regem* in urbibus in regno Pergameno sitis; vide SWOBODA, *zu den Urkunden*, p. 503 n⁰. 4: „es mag hier noch angemerkt wurden, dass die Eponymie des Königs sich nie in den Inschriften der Hauptstadt, sondern nur in derjenigen der zugehörigen Orte findet: in Nacrasa (C. I. G. 3521), Teos (C. I. G. 3070), Apollonis (Bullet. de corr. Hell. XI, 86 n⁰. 5, ibidem 44)."

[1]) Eumenis festum natale.

Digitized by Google

DE EUMENE I.

Philetaerus liberos non reliquit, sed ei duo fratres erant, quorum maior natu Eumenes, minor Attalus erat [1]). Eumenes uxorem duxit Satyram, Posidonii filiam, e quo matrimonio natus est filius (vide infra p. 52), cui item nomen Eumenis erat, Amastridis dynastes, antequam patruo Philetaero successit [2]). Amastris autem urbs condita est ab Amastride, quae uxor primum fuit Dionysii, Heracleae tyranni, deinde, ut iam vidimus (p. 27), Lysimachi regis, quocum divortium fecit. Haec igitur Amastris Amastridem

[1]) STRABO C. p. 624: „ἦσαν δ'αὐτῷ (Φιλεταίρῳ) δύο ἀδελφοί, πρεσβύτερος μὲν Εὐμένης, νεώτερος δ'Ἄτταλος."

[2]) STRABO l. l.: „ἐκ μὲν οὖν τοῦ Εὐμένους ἐγένετο ὁμώνυμος τῷ πατρί Εὐμένης, ὅσπερ καὶ διεδέξατο τὸ Πέργαμον." PAUS. I, 8, 2: „ὁ δὲ Ἄτταλος Ἀττάλου μὲν παῖς ὢν ἀδελφιδοῦς δὲ Φιλεταίρου, τὴν ἀρχὴν Εὐμένους παραδόντος ἔσχεν ἀνεψιοῦ."

Digitized by Google

urbem condidit et e quattuor pagis, Sesamo, Cytoro, Cromma ac Tio, composuit [1]).

Tium autem cito defecit a societate, reliqui in uno corpore permanserunt [2]).

Sed Amastris paullo post a duobus suis filiis suffocata est, qua re audita Lysimachus Heracleam ingressus est et parricidas e medio sustulit, primo Clearethum, deinde Oxathren, quum immane hoc scelus non tolerandum duceret, etsi propter consuetudinem, quam cum Arsinoë habebat, Amastridem a se abalienaverat. Heracleam [3]) in clientelam suam redegit et, reversus ad Arsinoën, laudibus extulit Amastridem eiusque mores et imperium demiratus est, unice Heracleam praedicans, sed ita ut in laudis partem venirent etiam Tium et Amastris.

Haec crebro in ore habens incitavit Arsinoën, ut urbium tantopere celebratarum dominium affectaret utque sibi donaretur a Lysimacho peteret. Lysimachus ei morem gessit. Arsinoë, Heracleae igitur imperio potita, Heracleidem eo

[1]) Cf. Iwan Müller III p. 262.

[2]) Memnon (Müller *fr. G. H.* III p. 530, Strabo C. p. 544; Steph. Byz. s. v. Ἄμαστρις.

[3]) Memnon (Cf. Müller, *fragm. H. G.* III, p. 351); Trogi Prol. 16.

Digitized by Google

Cymaeum misit, qui suo nomine regnum haberet [1]). Nimis rigide urbem administrabat, quo factum est, ut Heraclienses audita morte Lysimachi Heracleidem in vincula conicerent et libertatem recuperarent [2]).

Antiochus I (281—261), Seleuci filius, anno 279 a. Chr. nat. expeditionem in regem Bithynorum Nicomedem suscepit, ira commotus, quod unus e ducibus suis una cum exercitu Bithynorum insidiis exceptus et trucidatus esset. Nicomedes subsidium ab Heracliensibus petivit et impetravit, qua occasione Cierum, Tium, Thynidem terram (aliquot annis ante a Bithynis occupatas) multis expensis ad se reduxerant Heraclienses [3]). Amastridem, quae et ipsa cum reliquis ademta erat, quum recuperare cuperent, successu caruerunt felice. Qui enim illam tenebat Eumenes [4]) vesana ira commotus [5]) Ariobarzani, Mithridatis regis Ponti filio, gratis eam tradere, quam pecunia

---

[1]) MEMNON, loco laudato.

[2]) MEMNON (Cf. MÜLLER, *fragm. H. G.* II, p. 532).

[3]) MEMNON (Cf. MÜLLER, *fragm. H. G.* III, p. 535).

[4]) H. v. GELDER, *Galat. res*, p. 170: „Eumenes, Philetaeri fratris filius, iam antea Amastride tyrannidem exercuerat; hanc vero urbem, *iubente ut videtur Aegyptio*, Ariobarzani, dono dedit."

[5]) MEMNON (MÜLLER, *fr. H. G.* III, 535).

Digitized by Google

revendere Heracliensibus maluit. Veri simile est, Ptolemaeum II Philadelphum (285—246) Eumenem illum dynasten Amastridi praeposuisse, nam Ptolemaeus uxorem duxerat Arsinoën, Lysimachi regis viduam, quo factum est, ut Amastridem, uxoris dominium, sibi vindicaret, quam urbem cum aliis in Euxino mari ditioni suae subiecerat [1]).

Omnem veri speciem prae se fert, Eumenem a Ptolemaeo coactum esse ut Amastridem invitus Ariobarzani traderet. Sic enim Ponti rex hostis loco habebatur ab Antiocho, Syrorum rege, quocum Ptolemaeus id temporis bellum gerebat. Ariobarzanes anno 266 a. Chr. nat. rex creatus est: Amastris igitur anno 265 a. Chr. nat. tradita esse videtur.

Usque ad nostram aetatem sub iudice lis fuit, utrum Eumenes Philetaeri frater an patruelis (cui idem nomen est) dynastes Amastridis fuisset, cff. Droysen, *Geschichte des Hell.*, III, p. 255, n. 1:

---

[1]) F. Koepp, *über die Syr. Kriege*, p. 215: „Ohne Zweifel spielten damals die Ansprüche eine Rolle um deren Willen Ptolemaios seine Schwester geheirathet hatte, die Ansprüche auf das ehemalige Fürstenthum Heracleia am Pontos, auf Ephesos und was sonst etwa noch Lysimachus der Arsinoë einst geschenkt hatte. Ptolemaios suchte in Kleinasien immer festen Fuss zu fassen."

Digitized by Google

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

„Philetairos starb a° 263, achtzig Jahr alt, und von seinen beiden Brüdern Eumenes und Attalus war Eumenes der ältere; darum *bin ich geneigt* den in Amastris für dessen Sohn und den spätern Dynasten von Pergamon zu halten"; MAHAFFY, *Greek life and thought*, p. 309, quoque dubius est: „for one them, Amastris, was apparently held by *Eumenes*, *the brother or nephew* of Philetairos, and if the latter, his successor at Pergamum"; F. KOEPP, *über die syr. Kriege*, p. 217: „Dass dieser *Eumenes* (der Commandant der Stadt Amastris), der Bruder des Philetairos gewesen sei, *ist nicht unwahrscheinlich*, aber er braucht deshalb nicht dieselbe Politik getrieben zu haben, die später die pergamenischen Dynasten, und vielleicht damals schon Philetairos für förderlich hielten"; H. v. GELDER, *Gal. res* p. 170: „Eumenes, Philetaeri fratris *filius*, iam antea Amastride tyrannidem exercuerat."

Loci Pausaniae et Strabonis, quos supra (p. 49) commemoravimus, nos docent, Eumenem, Philetaeri fratrem, filium, cui idem nomen fuerit, habuisse, qui iure hereditario Pergamum acceperit.

Tituli Pergameni 13 (v. 1, 26, 27, 32, 36, 39, 43, 49) et 18 (v. 1), nec non DIOGENES LAËRTIUS,

Digitized by Google

Vitae phil. IV, 6, 38: „Εὐμένης ὁ τοῦ Φιλεταίρου", nos docent, Philetaerum vivum patruelem Eumenem filium et successorem adoptasse [1]. Porro inscriptio in insula Delo a viro docto TH. HOMOLLE reperta omne dubium tollit. Vir doctissimus A. DELMER, qui bibliothecae Gandavensi praeest, mihi occasionem dedit librum inspiciendi, qui inscribitur: *Archives des missions scientifiques et littéraires, choix de rapports et instructions publié sous les auspices du ministère de l'instruction publique et des beaux-arts, troisième série, Tome* XIII, Paris 1887, in quo occurrit: *Rapport sur une mission archéologique dans l'île de Délos par M. Th. Homolle.* Ibi, p. 411, legimus: „Dédicace d'une statue élevée à ou par Euménès, fils d'Euménès et de Satyra, fille de Poseidonios, et neveu de Philétairos. Le personnage est Euménès de Tios, dynaste d'Amistris, qui fut, après Philétairos, régent de Pergame. *Cette inscription établit le degré de parenté, qui existait entre les*

---

[1]) Ope titulorum Pergamenorum refellere possumus virum doctum *Meier*, de Diogenis Laërtii illo „Εὐμένης ὁ τοῦ Φιλεταίρου" sic scribentem (ERSCH U. GRUBER, *das Pergamenische Reich* C. 3, n° 69): „*Diogenes Laërtius* hat mit Unrecht Εὐμένης ὁ τοῦ Φιλεταίρου, wenn nicht etwa ἀδελφιδοῦς oder διάδοχος ausgefallen ist; denn so etwas durch eine grammatische Ellipse zu suppliren streitet gegen den Sprachgebrauch."

Digitized by Google

deux régents; elle nous fait connaître la généalogie d'Euménès."

Si recte conicimus, Eumenes I non sine multis et magnis difficultatibus rerum potitus esse videtur, nam post Philetaeri mortem rebellio mercenariorum militum erupit, de qua nihil tradunt rerum scriptores, sed quam nos docet titulus Pergamenus tertius decimus. Post quattuor menses seditionem Eumenes repressit.

Duces mercenariorum militesque iure iurando se adstringunt, se pacta non violaturos esse. Eumenes solus, Attali filius, iure iurando liberatus est ea conditione ut quod pactum esset teneret. Videtur igitur item patruelis alter Philetaeri voluisse, ut successor Philetaeri proclamaretur et Eumenes I regno expelleretur. Eumenes clementem se praebuit in concedendis iis, quae milites postulaverant. Postulaverant autem, ut pretium medimni frumenti quatuor drachmae essent itemque pretium metretae vini; ut annus, in quo stipendium persolveretur, decem menses numeraret, neve intercalarem mensem haberet; ut milites, qui militiae tempus explevissent et invalidi corpore (ἄπεργοι i. q. ἀδύνατοι) facti essent, idem stipendium haberent quod antea; ut, si miles caderet, propinqui heredes essent vel ii, quos defunctus heredes

Digitized by Google

scripsisset; ut milites immunes essent post annum XLIV peractum; ut, si miles invalidus corpore fieret vel missionem postularet, ei liceret se conferre, quoquo vellet, neve stipendium quattuor illorum mensium quos seditio duraverat deduceretur

De sententia postremae clausulae non constat, nam n° 13 vs. 14, (cf. die Inschriften v. Perg.) nonnullae (fortasse duae) litterae exciderunt. (cf. Theses).

Sane postulationes graves, et admodum probabilis coniectura est, Eumenem hanc ob causam se clementem praebuisse, quod Antiochum I, Syrorum regem metueret. Anno 263 a. Chr. nat., post pacem factam cum rege Aegyptiorum, Antiochus statim dynasten Pergamenum aggressus est verisimiliter eo consilio, ut regiones a Philetaero et ab Eumene I a Seleucidarum regno ereptas recuperaret. E titulo Pergameno n° 13 videmus, dynasten fines suos latius propagavisse, nam ibi duo castella commemorantur, alterum, cui nomen *Philetaeria*, sub radicibus Idae montis positum, prope sinum Adramyttenum; alterum, cui nomen *Attalia*, quod fortasse idem est atque urbs, de qua Stephanus Byzantinus mentionem facit: „Λυδίας πόλις, πρότερον Ἀγρόειρα ἢ Ἀλλόειρα." Vir doctus Schuchhardt contendit, eam milia

Digitized by Google

passuum a Thyatira septentrionem versus abfuisse.

In plerisque chartis geographicis invenimus Attaliam sitam in litore, e regione Lesbi, prope Atarneum; sed hic manifestus error est [1]). Confunditur enim cum urbe Attaia, de qua STRABO C. p. 607 mentionem facit. Nonnulli viri docti proposuerunt, pro Ἄτταια esse legendum Ἀτταλείαν, quod non necessarium est.

De duobus castellis Philetaeria et Attalia vix dubito quin contra Gallos, quibuscum Eumenes saepe bella gessit, et contra reges Syriacos extructae sint. Pietatis causa Eumenes I ea nominibus suorum patruorum Philetaeri et Eumenis appellavit [2]).

In quae omnia bene quadrat STABONIS locus C. p. 624: „ἦν (Εὐμένης) ἤδη δυνάστης τῶν κύκλῳ χωρίων ὥστε καὶ περὶ Σάρδεις ἐνίκησε μάχῃ συμβαλὼν Ἀντίοχον τὸν Σελεύκου." Vir doctus FRÄNKEL, *die Inschriften von Pergamon*, p. 14,

[1]) In eundem errorem incidit quoque IWAN MÜLLER, *Handbuch der klass. Alterth.* III, p. 253.

[2]) Philetaeriae templum Eumeni conditori (κτίστῃ) sacratum erat, cf. FRANKEL, *die Insch. v. Pergamon* n° 240: „Δισγένης Ἐπικλέους, καταστα θεὶς πρὸς τῇ ἐπιμελείᾳ καὶ φυλακῇ τῶν ἐν Φιλεταιρείᾳ τειχῶν καὶ τῶν περὶ τὸ Εὐμένειον ἱερῶν, τῷ δήμῳ."

Digitized by Google

videtur vocem ἤδη praetermisisse et censuisse, Eumenem demum post proelium apud Sardes commissum fines protulisse; sed non ita res se habet, nam loca circumsita Eumenes I in sua potestate habuit [1]) inde ab Attalia usque ad Philetaeriam. Quem Antiochus eo consilio aggressus est, ut eum in fines, quos Pergamum olim habebat, repelleret. Antiochus re cum Aegypto composita (anno 263 a. Chr. nat.) statim contra Eumenem hanc expeditionem fecit, sed victus ad Sardes recessit. Haec victoria incidit in annum 262 a. Chr. nat. Antiochus I Soter paullo post e vita decessit. Quo interfecto regnum Pergamenum ab infesto hoste liberatum est.

Antiochum II Deum (261—246), qui Antiocho I successit, Eumenes non tantopere timebat. Ille enim tam male rem suam gessit, ut post eius mortem regnum Syriacum in summo discrimine versaretur.

De Eumene et de regno Pergameno nihil praeterea traditur usque ad annum 246 a. Chr.

---

[1]) Perperam KÖHLER, *die Gründung des Königreichs Pergamon*, p. 3: „Welche die Grenzen der pergamenischen Herrschaft waren zur Zeit, als Attalos dieselbe erbte, vermögen wir nicht anzugeben; sicher reichte das zugehörige Gebiet nicht weit über die Umgebung von Pergamon hinaus."

Digitized by Google

nat., vide MAHAFFY, p. 310: „Antiochus Theus is then said to have given freedom, that is, of course, communal freedom, to the cities of Ionia. But not a word about Pergamum or the towns under its sway. This silence of our authorities is most curious. Amid all the wars, tumults, treaties, alliances of this disturbed period, Pergamum seems an oasis of rest, a harbour of security, and it may, indeed, be said of this Eumenes: *bene qui latuit bene vixit.*"

Anno 246 a. Chr. nat. Antiochus II veneno sublatus est, cuius filii Antiochus Hierax et Seleucus Kallinikos de principatu certare coeperunt. Antiochus Hierax magnum exercitum comparavit, cuiùs maior pars constabat e Gallis [1]).

Fretus copiarum suarum numero proelium conseruit cum Seleuco fratre, sed in Lydia victus est [2]). Deinde Seleucus aggressus est Mithridatem, Ponti regem, qui cum Antiocho societatem inierat. Eo socio et Gallorum opera usus Antiochus cladem fratri intulit apud

---

[1]) Qui anno 278 a. Chr. nat. in Asiam Minorem traiecerunt Cff. LIV. XXXVII, 16; H. v. GELDER, *Galat. res gestae*, p. 116; L. CONTZEN, p. 211.

[2]) PORPHYRIUS (Cf. MÜLLER, *fragm. Hist. Gr.* III, p. 710)

Digitized by Google

Ancyram [1]), ut suspicor anno 241 a. Chr. nat. [2])

Sed Galli, putantes Seleucum in proelio cecidisse, in ipsum Antiochum Hieracem arma verterunt, rati se facilius depopulari posse Asiam, si omnem stirpem regiam extinxissent. Quod ubi sensit Antiochus, velut a praedonibus auro se redemit et societatem cum mercenariis suis coniunxit. Seleucus Asia Minore eiectus recollectis viribus Syriam tutari studuit novosque reprimere conatus Ptolemaei, qui Damascum occupaverat atque Orthosiam oppugnavit. Interea Seleucus egerat cum fratre et pace facta [3])

---

[1]) ATHEN. XIII, p. 593c: „ὑπὸ Γαλατῶν Σελεύκου νικηθέντος καὶ μόλις ἐκ τῆς φυγῆς διασωθέντος;" PORPHYR. (Cf. MÜLLER, *fr. Hist. Gr.* III, p. 710); JUSTIN. XXVII, 2; TROG. POMP., *Prolog.* XXVII; POLYAEN. IV, 9, 6.

[2]) De anno proelii Ancyrani scriptores recentiores non conveniunt inter se. MÜLLER, *fragm. Hist. Gr.* III, p. 708, proelium illud anno 242 assignat.; THRÄMER, *die Siege der Perg.*, p. 6; L. CONTZEN, p. 231; KÖHLER, *die Gründung*, p. 7, anno 241; H. v. GELDER, *Gal. res gestae*, p 137, anno ± 240; F. KOEPP, *über die Syr. Kriege*, p. 226, anno 239; NIEBUHR, *kl. Schrift.*, I, p. 282, anno 237; BELOCH, *Seleukos Kallinikos*, p. 507, anno 235 vel 234.

[3]) I. BELOCH, *Seleukos Kallinikos und Antiochus Hierax*, p. 505: „der Frieden zwischen Seleukos und Ptolemäus ist demnach im Jahre 237 abgeschlossen worden"; *Ibidem* p. 504; H. v. GELDER, *Galatarum res in Graecia et Asia gestae*, p. 159: „sub idem tempus (± 239) cum Euergeta quoque pactionem in decem annos iniit (Seleukos), qua omnia ei reliquit, quae etiam tunc obtinebat;" item p. 161; F. KOEPP, *über die*

Digitized by Google

cessit Asiam Minorem cis Taurum Antiocho et promisit, se eum regem consalutaturum esse. Antiochus Hierax hasce conditiones accepit, nam sic omnes vires suas usurpare potuit contra Pergamenum dynasten, cuius potestas in diem crescebat. Haud constat inter rerum scriptores, utrum Eumenes I cum Galatis et Antiocho Hierace bellum gesserit necne [1]). Fuse de hac quaestione egit vir doctus THRÄMER in libro, qui inscribitur: „*die Siege der Pergamener über die Galaten, und ihre Verherrlichung durch die Pergamenischen Künststücke;*" item in libro, qui inscribitur „*Pergamos*", p. 246. De Eumenis regno fere nihil traditur apud scriptores antiquos quodque traditum est est admodum corruptum.

Fundamenta disputationis viri doctissimi THRÄMER sunt haec verba e Plinii *historia naturali*

Syrischen Kriege der ersten Ptolemaier und der Bruderkrieg des Seleukos Kallinikos und Antiochus Hierax, p. 223: „Dann folgte der Abschluss des zehnjährigen Friedens, alles noch im Jahre des Entsatzes von Orthosia (242/241);" DROYSEN, *Geschichte des Hell.* III, p. 399 putat, pacem factam esse a° 239.

[1]) DROYSEN putat, iam Eumenem I cum Galatis et Antiocho Hierace pugnavisse, cf. DROYSEN, *Geschichte des Hell.*, III, I, p. 398: „Schon hatte wider ihn (Antiochus Hierax.) der pergamenische Dynast zu kämpfen begonnen." Idem p. 409: „Eumenes wandte sich nach der Schlacht von Ankyra besonders gegen Antiochus Hierax."

Digitized by Google

tos, incursionibus regiones regum Attalicorum Bithynorumque vexasse.

Fieri potest, ut Eumenes I se saepe pecunia a populationibus Gallorum redempserit [1]); sed magis probabile est, eum cum iis iam proelia commisisse [2]), nam IUSTINUS, XXVII, 2, me iudice perperam victorem Antiochi et Galaticarum copiarum tradit regem Bithyniae Eumenem esse, ubi alii [3]), „regem Pergamenum Attalum," alii [4]) „regem Pergamenum Eumenem II" legere volunt. Mihi videtur pro „rex Bithyniae Eumenes" legendum esse „rex Pergami Eumenes I." Anachronismus „rex" pro „dynaste" non Iustino vitio dandus est. Fortasse repperit apud TROGUM POMPEIUM, cuius opus compilavit „δυνάστης," quod vocabulum Latine vertit „rex."

Galatae, post proelium Ancyranum fere tota Asia Minore potiti, resistente Eumene I victi

[1]) LIV. XXXVIII, 16: „primus Asiam incolentium abnuit (tributum) Attalus."

[2]) MAHAFFY, *Greek life and thought*, p. 311, n° 1: „This (drunkeness would account for his obscurity in external politics, but not for his safety from invasion or other disturbance."

[3]) NIEBUHR, *kl. Schrift.*, I, p. 286, n° 81, qui eterum putat, iam Eumenem I hostilia contra Galatas coeptasse.

[4]) H. v. GELDER, *Galatarum res gestae*, p. 171; DROYSEN, *Geschichte des Hellen.*, III, 1, p. 398, n° 2.

Digitized by Google

sunt. Quod proelium ponendum est vere anni 242 a. Chr. nat. Fine enim demum anni 241 a. Chr. nat. Eumenes I vita decessit.

Si IUSTINO credimus, res sic se habuerunt: Antiocho Hierace et Seleuco Callinico de principatu certantibus Asia Minor anarchiae tradita est. Post pugnam apud Ancyram commissam Galatae elatius se gerere incipiunt; de medio tollere ducem suum in animo habent; liberius se Asiae Minoris regiones depopulaturos rati, si omnem regiam stirpem exstinxissent. Direptionibus eorum resistendum erat. Sed neque Seleucus neque Antiochus satis valuit ad pacem ac quietem restituendam.

Tum demum Eumenes I Asia Minore cis Taurum potiri studuit; sed antea Galatarum catervae delendae erant. Profligat Antiochum Hieracem eiusque auxilia, quae in primis in Galatis consistebant, et fines propagare coepit impendio Antiochi. Quod JUSTINUS XXVII, 3, nimis augens sic tradit „Antiocho victo cum Eumenes maiorem (Asiae Minoris) partem occupasset."

Galatae soli Eumenem prohibuerunt ne tota Asia Minore cis Taurum potiretur. Non fieri poterat, quin Galatae et Eumenes colliderentur; sed mors Eumenem suis coeptis abripuit.

Digitized by Google

Successori demum eius Attalo I contigit ad finem perducere quod antecessor animo complexus erat.

Ubi vir doctissimus THRÄMER, *die Siege der Pergamener*, p. 28, de verbis Plinianis „*plures artifices fecere Attali et Eumenis adversus Gallos proelia*" agit, fonti, e quo Plinius hausit, nominum Attali et Eumenis ordinem adscribit.

Fons ille est Antigonus, artifex Pergamenus, „qui volumina condidit de arte sua," cf. PLINIUS, *hist. nat.*, *l. XXXIV*, in indice auctorum. Antigonus autem, aequalis eorum temporum, de quibus agimus, Attalum, quod maiores res gesserit, ante Eumenem posuit, quamquam hunc prius vixisse constat.

Attalo I enim contigit, Asiam Minorem a peste periculosa et molesta liberare, qua re elatus monumentum ad suam victoriam celebrandam erexit aëre perennius, sed simul ei, cui successit, debitam quoque laudis partem tribuit. Pergamena monumenta res gestas cum Eumenis I, tum Attali I memoriae tradere voluerunt; sed cum in primis Attalo honor tribuendus sit Galatas debellavisse, Antigonus (quem Plinius secutus est) Eumenem Attalo postposuit.

Plura de Eumene I deque eius imperio non

Digitized by Google

tradita sunt. E DIOGENE LAËRTIO [1]) modo efficere possumus, Eumenem quoque philosophiae studuisse, quapropter professores Arcesilaum et Lyconem amplissimis frequentibusque donis affecerit.

E vita discessit anno 241 a. Chr. nat., postquam imperium per annos duos et viginti tenuit [2]). Chronologus CTESICLES [3]) narrat, eum ebrietate mortuum esse; sed, ut opinor, fabula est.

Successit ei Attalus, Attali (Philetaeri fratris) et Antiochidis filius [4]).

---

[1]) *Diog. Laërt.*, IV, 6, 38; *ibidem* V, 4, 67.

[2]) STRABO C. p. 624.

[3]) ATHENAEUS X, p. 445d: „ὑπὸ μέθης ἀπέθανεν Εὐμένης ὁ Περγαμηνὸς ὁ Φιλεταίρου τοῦ Περγάμου βασιλεύσαντος ἀδελφιδοῦς, ὡς ἱστορεῖ Κτησικλῆς ἐν τρίτῳ Χρόνων."

[4]) STRABO C. p. 624; PAUSAN. I, 8, 2.

Digitized by Google

Digitized by Google

THESES.

Digitized by Google

Digitized by Google

THESES.

I.

Non assentior Niebuhrio asseveranti (Kl. Schriften I p. 286, Bonn 1828): „der berühmte Sieg über die Galater ist nicht als Nation, sondern als des Antiochos gedungene Hilfsvölker erfochten worden."

II.

Eumenes I, ante annum 263 a. Chr. nat., quo Philetaero, dynastae Pergami successit, Amastridi urbi praefuit.

III.

Lex Licinia existimanda est tantum agri publici modum constituisse.

IV.

Absurdum est contendere Caesarem Catilinariae coniurationis participem fuisse.

Digitized by Google

V.

Iniuria Mommsen, Röm. Gesch. III. p. 195, 6ste Auflage, Berlin 1875, censet, Sallustii librum de Catilinae coniuratione scriptum apologeticum esse pro C. Iulio Caesare.

VI.

Die Inschriften von Pergamon (herausgegeben von M. Fränkel, Berlin 1890) nº. 13 v. 14.

ὑπὲρ τῶν λευ..νων· ὅπως καὶ τὸν σῖτον λάβωσιν τοῦ χρόνου, οὗ καὶ τὸν στέφανον.

Duae litterae evanuerunt; supplendum est: λευκίνων.

VII.

Ibid. nº. 224 v. 12.

τὰ μὲν παραλελειμμένα· εἰσηγησάμενος ἐπὶ τῷ συνφέροντι διώρθωσεν, τὰ δὲ λοιπὰ ἀκολούθως τοῖς νόμοις συνεπε...υσεν.

Tres litterae evanuerunt; supplendum est: συνεπέσπευσεν.

VIII.

Strabo C. p. 607. ἐν δὲ τῇ παραλίᾳ τῇ ἐφεξῆς αἱ τῶν Μιτυληναίων κῶμαι Κορυφαντίς τε καὶ

Digitized by Google

Ηράκλεια, καὶ μετὰ ταῦτα Ἄττεα, εἶτ' Ἀταρνεὺς καὶ Πιτάνη καὶ αἱ τοῦ Καΐκου ἐκβολαί.

Legendum est: Ἄτταια.

IX.

Hom. Odys. XII : 251.

ὡς δ'ὅτ' ἐπὶ προβόλῳ ἁλιεὺς περιμήκεϊ ῥάβδῳ
ἰχθύσι τοῖσ' ὀλίγοισι δόλον κατὰ εἴδατα βάλλων.

Legendum propono: ἰχθύσιν ὠμοφάγοισι.

X.

Theognidis Elegiae (edit. Ziegler, Tubingae 1880) v. 1013.

Ἄ μάκαρ εὐδαίμων τε καὶ ὄλβιος ὅστις ἄπειρος
ἄθλων εἰς Ἀΐδεω δῶμα μέλαν καταβῇ,
πρίν γ'ἐχθροὺς πτῆξαι καὶ ὑπερβῆναί περ ἀνάγκῃ,
ἐξετάσαι τε φίλους, ὅντιν' ἔχουσι νόον.

Legatur: ὑπεκστῆναι τῇ.

XI.

Thucyd. I, 34, 2.

Προκληθέντες γὰρ περὶ Ἐπιδάμνου ἐς κρίσιν πολέμῳ μᾶλλον ἢ τῷ ἴσῳ ἐβουλήθησαν τὰ ἐγκλήματα μετελθεῖν.

Lege: δίκῃ.

Digitized by Google

XII.

Thucyd. VII, 49, 1.

καὶ ἅμα ταῖς γοῦν ναυσὶν ἢ πρότερον θαρσήσει κρατηθείς.

Legendum est: καὶ ἅμα ταῖς γοῦν ναυσὶ μᾶλλον ἢ πρότερον θαρσήσας.

XIII.

Thucyd. VII, 74, 1.

Οἱ δὲ πρὸς τὸ ἄγγελμα ἐπέσχον τὴν νύκτα, νομίσαντες οὐκ ἀπάτην εἶναι· καὶ ἐπειδὴ καὶ ὡς οὐκ εὐθὺς ὥρμησαν, ἔδοξεν αὐτοῖς καὶ τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν περιμεῖναι.

Legatur: ἀναγκαίως.

XIV.

Xenoph. Hell. II, 3, 36.

οὐ μέντοι θαυμάζω γε τὸ Κριτίαν παρανενομηκέναι.

Legendum puto: παρανενοηκέναι.

XV.

Xenoph. Hell. II, 3, 38.

οὐκοῦν μέχρι μὲν τοῦ ὑμᾶς τε καταστῆναι εἰς τὴν βουλὴν καὶ ἀρχὰς ἀποδειχθῆναι καὶ τοὺς ὁμολογουμένους συκοφάντας ὑπάγεσθαι πάντες ταὐτὰ ἐγιγνώσκομεν.

Lege: ἄρχοντας.

Digitized by Google

XVI.

Lysias neque ipse orationem funebrem, quae inter Lysiae opera fertur secunda, habere potuit, neque in usum alienum scripsit.

XVII.

Tacit. Hist. I, 67.

Mota propere castra, vastati agri, direptus longa pace in modum municipii extructus locus, amoeno salubrium aquarum usu frequens.

Post vocabulum amoeno inserendum est: *situ*

XVIII.

Tacit. Annal. I, 20.

Quippe Rufus diu manipularis, dein centurio, mox castris praefectus, antiquam duramque militiam revocabat, *vetus* operis ac laboris et eo immitior, quia toleraverat.

Legendum est: *nimius.*

XIX.

Tacit. Annal. IV, 71.

Sed mitigavit Seianus, non Galli amore, verum ut *cunctationes principis opperiretur,* gnarus

Digitized by Google

lentum in meditando, ubi prorupisset, tristibus dictis atrocia facta coniungere.

Lege: ut *cunctatione principis ira asperaretur.*

XX.

Livius I, 9, 13.

Incusantes *violati* hospitii foedus deumque invocantes, cuius ad sollemne ludosque per fas ac fidem decepti venissent.

Legatur: *violatum.*

XXI.

Livius XXII, 18, 2.

Luce prima sub iugo montis proelium fuit, quo interclusam ab suis levem armaturam facile — etenim numero aliquantum praestabant — Romani superassent, nisi Hispanorum cohors ad id ipsum remissa ab Hannibale *pervenisset.*

Legendum est: *praevenisset.*

XXII.

Ovid. Heroid. XVI : 257 (Edit. Riese 1871).

His ego, si saperem pauloque audacior essem
uterer — utetur, siqua puella sapit —
aut ego deposito faicam fortasse pudore
et dabo *devinctas* tempore victa manus.

Lege: *luctantes.*

Digitized by Google

XXIII.

Valer. Maxim. VII, 2 Ext. § 10 (edit. Halm. 1865) a caritate istud pater avus o Philippus, maiore ex parte mercator Graeciae quam victor.

Sic restituendum est: auctoritate istud paterna vetuisti, o Philippe, ipse maiore etc.

XXIV.

Valer. Maxim. IX, 12 Ext. § 3.

Non vulgaris etiam Homeri mortis causa fertur, qui in insula, quia quaestionem a piscatoribus positam solvere non potuisset, dolore absumptus creditur.

Post vocabulum insula inserendum est: *Io.*

XXV.

Het vuur is bij Heraclitus geen symbool der uiterste bewegelijkheid.

XXVI.

Ten onrechte beweert Ollé-Laprune (Essai sur Aristote p. 7 en 8), dat Aristoteles den term δοκεῖ enkel dan gebruikt, als hij voor eene meening geen partij trekt, dat δοκεῖ dus nooit in den zin van φαίνεται voorkomt en nooit evidentie uitdrukt.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

YC 38749

DS 156
P4B7

83514

Digitized by Google

Digitized by Google